 » ne abicias consilium meum , inijce pe-
 » dem tuum in compedes illius (Sa-
 » pientiae) et in torques illius collum
 » tuum ; subijce humerum tuum , et
 » porta illam , et ne audieris vinculis
 » ejus. In animo tuo accede ad illum ,
 » et in omni virtute tua conserva vias
 » ejus. Investiga illam , et manifesta-
 » bitur tibi , et continens factus est de-
 » relinquant eam. Ecc. Cap. 6.*

» Ego D. Maximilianus Fræsel Ab-
 » bas Gen. manu propria = Ego D. Pe-
 » trus Maccioni Ab. Exgen. manu pro-
 » pria = Ego D. Franciscus A. Romani
 » manu propria = Ego D. Cervatius Al-
 » berganti manu propria = Ego D. Atho

» de Morbiis manu propria = Ego D.
 » Theuzzo Dolci manu propria = Ego
 » D. Paulinus Fuga manu propria =
 » Ego D. Petrus Franciscus Peri S.T.D.
 » manu propria = Ego D. Innocentius
 » Gavagnoli manu propria = D. An-
 » gelus M. Lauajans manu propria =
 » D. Angelus Vincentius M. Berbolazi
 » S.T.M. manu propria.

Supra relata
 Statuta, Apo-
 stolica aucto-
 ritate confir-
 tur, et obser-
 vari mandatur.

§. 3. Ac propterea ipse Procurator Generalis, præmissa, quo firmitus subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum supplementum, seu additiones quoad studia ab ipso Maximiliano Abbate Generali factas, et a Diffinitorio Generali ipsius Congregationis, ut præfertur, admissas, ac omnia, et singula in illo, seu illis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula sub-
 blata, et deere-
 tum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Derogatio con-
 trariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, qui-

bus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Julii MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLVII.

Electio Sacerdotis Ignatii in Patriarcham Antiochenum Græco-Melchitarum ab Antistitibus illius Nationis dissidentibus facta, cassatur, et annullatur, reservata S. Sedi Patriarchalis Ecclesiæ provisione.

Dat. die 1. Aug.
 1760. Ann. Ter-
 tio.

De jurisdictione Patriarcatus Antiocheni Melchitarum, et Episcoporum ejusdem Nationis agit constitutio Benedicti XIV. edit. Anno 1743. Dec. 24. Pallium prædecessori Antiocheno Melchitarum Patriarchæ post funestum Græcorum Ecclesiæ Schisma, quæ per plures sæculos a Sanctæ Romanæ Sedis unione desciverat, transmisit Pontifex idem una cum Literis in forma Brevis Anni 1744. Febr. 29. ut videre est in Benedictino Bullario Tom. I. Hac ipsa de re videnda sunt acta Concistorialia diei 3. Febr. 1744. in ejusdem Bullarii Tom. I. Appendice. Electionem etiam Patriarchæ Maronitarum ab Antistitibus dissidentibus illius Nationis factam annullavit Benedictus XIV. constit. edit. Anno 1743. Martii 13. relata in sæpe dicto Bullario.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram Rei Memoriam

§. 1. **Q**uam cara semper fuerit Antiochena Ecclesia Romanæ, S. Innocentii ad Alexandrum Antiochenum verba satis ostendunt, qui hoc uno eam dixit esse minorem, quod illa quidem Petrum Apostolorum Principem in transitu possidere meruerit, hæc vero susceptum apud se, consumatumque gavisâ fuerit: porro hanc ab causam Romani Pontifices decessores Nostri maximo-pere gavisâ sunt, ubi venerabiles illius reliquias in Græco Melchitis vere Orthodoxis, errorum, schismatisque tenebris discussis, reviviscere, ac reflorescere

Antiochena
 Ecclesia anti-
 quitas, atque
 præstantia.

conspexerunt, lætati insuper, quod postmodum in Catholicæ Fidei unitate, ac veritate permanserint.

Narrat abdicationem Antiocheni Patriarchæ et subsequuta arbitraria alterius Sacerdotis designatio in præcedentis Patriarchæ sub rogationem.

Patriarchæ renuntiatio absque Apostolice Sedis indulto nulla renunciata fuit Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

Enumerantur nullitates quæ inficitur electioni novi Patriarchæ ab aliquibus Melchitis Episcopis facta.

vacante per obitum quavis Episcopali Ecclesia, Romanæ Sedis spectat nova illius Ecclesiæ provisio secundum Sacros Canones, et antiquissimam consuetudinem.

Antiocheni Patriarchæ renuntiationem, et arbitrariam successoris electionem annullat, et irritat Summus Pontifex servata Apostolicæ Sedi devolutæ Pa-

§. 2. Quoniam vero nullum in terris gaudium est, quod amaritudine aliqua non permisceatur, hanc ipsi ægritudine propter peccata Nostra persensimus, accepto nuncio divisionis inter Nationem istam naperrine subortæ, occasione abdicationis Patriarchæ Cyrilli hujus nominis Tertij, consequentisque in ejus locum Sacerdotis Ignatii designationis: quod quidem negotium cum discutiendum delegaverimus nonnullis Venerabilibus Fratibus Nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandæ, auditis procuratoribus hinc et inde Romam missis, censuerunt, Cyrilli Patriarchæ abdicationem, nullam, atque irritam fuisse, quia factam nullo prius ab Apostolica Sede permissu obtento, cum hæc dicti Patriarchæ electionem confirmavisset, ac prævio consueto juramento, Pallii honore eundem honestavisset: pari enim de causa non absimilem renuntiationem Josephi Primi Caldeorum Patriarchæ nullam irritamque sub finem præteriti sæculi decreverunt.

§. 3. In hac autem eo gravius peccarunt Melchitæ Episcopi electores, cum ad electionem devenire veriti non sint, nullo habito respectu neque appellationis a quatuor Episcopis ad Apostolicam Sedem delatæ, neque ætatis annorum viginti septem, quæ sola, præter cætera, illum ab Episcopatu repellere debuisset. Interim vero, cum dictus Patriarcha Cyrillus viam universæ carnis ingressus fuerit, nova electio in ejusmodi circumstantiis ad Apostolicam Sedem devoluta est, quæ propterea secundum Sacros Canones, et antiquissimam consuetudinem, Patriarchali Ecclesiæ de persona sibi benevisa debet ex integro providere.

§. 4. Quamobrem urgente Ecclesiarum omnium sollicitudine, a Pastorum Principe Jesu Christo infirmitati Nostræ imposita, Nos, qui paternæ charitate Greco-Melchitarum Nationem amantissime complectimur, inhærentes consilio memoratæ Congregationis, nec non motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine abdicationem hujusmodi Patriarchæ Cyrilli nullam, et irritam declaramus, quemadmodum etiam dictam Sacerdotem Ignatium suspensum ab exercitio Ordinum, reservata Nobis facultate eundem absolvendi, postquam is sinceræ

pœnitentiæ signa ediderit, nec non illius electionem nullam pariter, irritam, inanem, ac nullius roboris, et momenti, esse, et fore declaramus, annullamus, irritamus, et cassamus, dictamque electionem perinde haberi debere in omnibus, et per omnia, ac si nunquam facta fuisset pariter decernimus, præcipimus, et declaramus, nullamque jus, et auctoritatem per electionem antedictam prætenso electo acquisitum, sive acquisitam esse, et fore, ac irritum, et inanem, nulliusque roboris, ac momenti quemcumque actum per ipsum prætensum electum, sive factum, aut faciendum quemadmodum etiam eundem in iis omnibus, et singulis ad Patriarchalem potestatem, et auctoritatem spectantibus seseingere, et intromittere audentem, ipso facto pœnis omnibus contra non parentes mandatis Apostolicis per Sac. Canones inflictis, et indignationi Nostræ obnoxium esse, ac fore, easque incurrere, et incursum esse, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus decernimus, statuimus, et declaramus, ipsiusque Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ, ita, ut præmittitur vacantis, collationem, provisionemque quomodocumque faciendam, pro hac vice, et jure devoluto, Nobis, et Apostolicæ Sedi prædictæ reservamus.

§. 5. Decernentes præsentem literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentem emanarunt sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili individuumque expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quocumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine pari-

triar-chalis Ecclesie provisione.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

bus concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud, uti, seu se iuvare nullo modo posse, sed ipsas præsentis literas existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ac illis ad quos spectat, et protempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari debere, sicque et non aliter in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, aliosve quoslibet, quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi, et definiendi facultate, et auctoritate iudicari, et defini debere, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de iure quesito non tollendo, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictæ Patriarchalis Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam expressis, manu alicujus Notarii publici suscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Anulo Piscatoris die 1. Augusti MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio. ■

CLVIII.

Dat. die 1. Augusti 1760 Anno Tertio.

Græco-Melchitarum Patriarchalis Ecclesia Antiochena auctoritate Apostolica, et iure devolutionis providetur in personam Maximi Archiepiscopi Hjerapolitani.

De irritata electione Patriarchæ Antiocheni Melchitarum facta ab Antistitibus dissidentibus illius Nationis, et de reservata S. Sedi Patriarchæ illius provisione ob devolutionem per obitum præcedentis provisi, vide Literas sub num. superiori relatas.

Venerabili Fratri Maximo Archiepiscopo Hjerapolitano Patriarchæ Antiocheno Græco-Melchitarum

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem

§. 1. Delatis ad Nos, et Apostolicam hanc Sedem dissentionibus in Græco-Melchitarum Natione proxime obortis ob renunciationem Cyrilli Tertii Patriarchæ, sequutamque Sacerdotis Ignatii electionem, magnum sane haurimus ex ista, inter Greco-Melchitas Episcopos, divisione, mœrorem, neque potuimus factum utrumque ullo pacto probare, datis in hanc finem aliis Nostris in pari forma Brevis literis tenoris sequentis. (*Literæ, de quibus facienda hic foret insertio sunt illæ, quas jam retulimus superiori numero.*)

Narrat quæ arbitrarie evenerunt in electione Patriarchæ Antiocheni Melchitarum.

§. 2. Deinde animo perpendentes, quam periculosum sit Antiochenam istam Sedem tamdiu Pastore suo ac Magistro carere, ad celerem provisionem ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ, ne majoribus diuturnæ vacationis incommodis, gravioribusque dissidiis exponatur, paternis, et sollicitis studiis animum intendentes perspectamque habentes de eximiis virtutibus Fraternalitatis Tuæ, in Tua ad Episcopatum Hjerapolitanum promotione plurimi habitis cognitionem, nec non quod inter antiquiores Episcopos Nationis Græco-Melchitæ censearis, et apud Nos prurimorum Fide dignorum testimonio commenderis, postquam de præficiendo eidem Patriarchali Ecclesiæ Antiochenæ prædictæ Nationis personam utilem, ac etiam fructuosam cum iisdem Cardinalibus dictæ Congregationis Particularis Fidei Propagandæ, deliberationem ha-

Ecclesiæ Antiochenæ Melchitarum novum Patriarcham præficit, eandem ab Ecclesia Hierapolitana transferrando.

Derogatio contrariorum.

Transumptorum fides.

buimus diligentem, Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio et præfectio per Nos, ut infra facienda, nec non præsentis suum sortiantur effectum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac a vinculo quo dictæ Ecclesiæ Hjerapolitanæ, cui præes, teneris, de simili consilio, et Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ad eandem Ecclesiam Antiochenam Nationis præfatæ, de consilio, et potestatis plenitudine paribus, transferimus, Teque illi in Patriarcham ejusdem Nationis præficiamus, et Pastorem, curam, regimen, et administrationem dictæ Ecclesiæ Antiochenæ Nationis prædictæ Tibi in spiritualibus plenarie committendo, atque etiam non solum liberam Tibi ad Patriarchalem Ecclesiam præfatam transeundi licentiam tribuimus, sed etiam in virtute sanctæ obedientiæ, et sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis, præcipimus et mandamus ut Patriarchalis Ecclesiæ hujusmodi possessionem, statim ac præsentem Nostræ literæ ad Te pervenerint, nulla interposita mora adeas et capias, atque omnia, et singula jura, auctoritatem, potestatem, præeminentiam, prærogativas, jurisdictionem, privilegia, aliaque hujusmodi ad Patriarcham dictæ Patriarchalis Ecclesiæ protempore existentem quomodolibet spectantia, et quibus alii Patriarchæ Ecclesiæ præfatæ Predecessores Tui de jure, usu, et consuetudine, usi, gavis, et fructi fuerunt, pari modo exerceas, ac iis utaris, fruaris, et gaudeas, in illo, qui dat gratias, et largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus Tuos, prædicta Ecclesia Antiochena Nationis ejusdem sub Tuo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem in spiritualibus suscipiet incrementa.

Ut Antiochene Ecclesie fidelem sollicitum, prudentemque curam suscipiat plurimum commendat.

§. 3. Tu igitur ad eandem Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Nationis præfatæ cum gratia Nostræ Benedictionis accedens, curam et administrationem prædictas sic exercere studeas fideliter, sollicite, et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena dictæ Nationis, Governatori provide, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, Nostram, et dictæ Sedis Benedictionem, ac gratiam exinde uberius consequi merearis.

§. 4. Quocirca eisdem Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Suffraganeis, ac dilectis pariter Filiis Capitulo, et Vassallis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis præfatæ, ac Clero Sæculari et Regulari etiam Societatis Jesu, et Populo Civitatis, ac Diocesis Antiochenæ ejusdem Nationis, per Apostolica scripta mandamus, ut Suffraganci Tibi tamquam membra capiti obsequentes, et Capitulum Tibi tamquam Patri, et Pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant Tibi obedientiam, et reverentiam debitas, et devotas, ita quod mutua inter Te, et ipsos Suffraganeos gratia, gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possumus propterea in Domino merito commendare: ac Clerus Te pro Nostra, et ejusdem Sedis reverentia, benigne recipientes, et honorifice pertractantes Tua salutaria monita, et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent. Populus vero Te tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, Tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant; ita quod Tu in eis devotionis Filios, et ipsi in Te per consequens Patrem benevolunt invenisse gaudeatis! Vassalli autem prædicti Te debito honore prosequentes, Tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia, et jura Tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam quam rite tuleris, sive statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctoritate Domini usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§. 5. Volumus autem, quod Tu, antequam regimini, et administrationi dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis præfatæ te in aliquo immisceas, in manibus alicuius Catholici Antistitis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentis, et in illis partibus degentis, Fidei Catholice professionem a Sede prædicta Orientalibus præscriptam, juxta unam expresse emitte, et Fidelitatis debitæ solitum Juramentum, juxta alteram formas præsentibus adnotatas præstare omnino tenearis, ac Professionis Fidei quam emisseris, et Juramenti hujusmodi, quod præstaveris formas, Congregationi de Propaganda Fide de ve bo, ad verbum per Tuas patentes literas, Tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quantocius destinare procure = Forma autem » professionis Fidei, quam emittes hæc » est = Ego Maximus electus Patriar-

Mandat Episcopis suffraganeis; Clero Regulari, et Sæculari, universoque Populo Nationis Melchitarum, ut noviter proviso Patriarchæ obedientiam, reverentiam, et auxilium præbent.

Ut fidei Catholicæ professionem in manibus alicuius Catholici Antistitis emitte antequam concedit Patriarchæ administrationem suscipiat, iungit, una cum juramento fidelitatis.

Formulam emittende professionis fidei Universis Orientalibus An-

isticibus pre-
 scriptam desi-
 gnat.

chalis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis
 Greco-Melchitarum firma Fide credo
 et profiteor omnia, et singula, quæ
 continentur, in symbolo Fidei, quo
 S.R.E. utitur videlicet. Credo in unum
 Deum Patrem Omnipotentem facto-
 rem Cæli et Terræ, visibilibus omnia
 et invisibilibus, et in unum Domi-
 num Jesum Christum Filium Dei
 Unigenitum, et ex Patre natum ante
 omnia sæcula, Deum de Deo, lumen
 de lumine, Deum vero de Deo ve-
 ro, genitum non factum, consubstan-
 tialem Patri, per quem omnia facta
 sunt, qui propter nos homines, et
 propter nostram salutem descendit de
 Cælis, et incarnatus est de Spiritu
 Sancto, ex Maria Virgine, et homo
 factus est, crucifixus etiam pro no-
 bis sub Pontio Pilato passus, et se-
 pulchrum est, et resurrexit tertia die se-
 cundum Scripturas, et ascendit in
 Cælum, sedet ad dexteram Patris,
 et iterum venturus est cum gloria
 judicare vivos et mortuos, cuius re-
 gni non erit finis; et in Spiritum San-
 ctum Dominum, et vivificantem,
 qui ex Patre Filioque procedit, qui
 cum Patre, et Filio, simul adoratur,
 et conglorificatur qui loquutus est per
 Prophetas, et unam S. Catholicam,
 et Apostolicam Ecclesiam; confiteor
 unum Baptisma in remissionem pec-
 catum; et expecto resurrectionem
 mortuorum; et vitam venturi sæculi.
 Amen. Veneror etiam, et suscipio
 Universales Synodos, prout sequitur
 videlicet: Nicenam primam, et pro-
 fiteor, quod in ea contra Arium da-
 mnatæ memoriæ definitum est, Do-
 minum Jesum Christum esse Filium
 Dei ex Patre natum Unigenitum,
 idest ex substantia Patris natum, non
 factum, consubstantiali Patri, at-
 que impias illas voces recte in eadem
 synodo damnatas esse, quod ali-
 quando non fuerit, aut quod factus
 sit ex iis, quæ non sunt, aut ex
 alia substantia, vel essentia, aut
 quod sit mutabilis vel convertibilis
 Filius Dei; Constantinopolitanam pri-
 mam, secundam in ordine, et pro-
 fiteor quod in ea contra Macedonium
 damnatæ memoriæ definitum est,
 Spiritum Sanctum non esse Servum
 sed Dominum, non creaturam, sed
 Deum, ac unam habentem cum Pa-
 tre, et Filio Deitatem; Ephesinam
 primam, tertiam in ordine, et pro-
 fiteor, quod in ea contra Nestorium
 damnatæ memoriæ definitum est, Di-
 vinitatem et Humanitatem ineffabili,

et incomprehensibili unione, in una
 Persona Filii Dei, unum Nobis Jesum
 Christum constituisse, eaque de cau-
 sa, Beatissimam Virginem vere esse
 Dei Genitricem; Calcedonensem,
 quartam in ordine, et profiteor, quod
 in ea contra Eutychem, et Dioscorum
 ambos damnatæ memoriæ definitum
 est, unum, eundemque Filium Dei
 Dominum nostrum Jesum Christum
 perfectum esse in Deitate, et perfe-
 ctum in humanitate, Deum verum,
 et hominem verum ex anima ratio-
 nali, et corpore consubstantiali Pa-
 tri secundum Deitatem, eundem
 consubstantiali Nobis secundum
 humanitatem, per omnia Nobis si-
 milem absque peccato, ante sæcula
 quidem de Patre genitum secundum
 Deitatem, in novissimis autem die-
 bus eundem propter Nos, et propter
 nostram salutem ex Matre Virgine
 Dei Genitrice secundum humanitatem,
 unum eundemque Christum Filium
 Dominum Unigenitum in duabus na-
 turis inconfuse, immutabiliter, indi-
 vise, inseparabiliter agnoscendum, nu-
 squam sublata differentia natura-
 rum propter unionem, magisque
 salva proprietate utriusque naturæ,
 in unam personam, atque substan-
 tiam concurrente, non in duas per-
 sonas partitum, aut divisum, sed
 unum, eundemque Filium, et Uni-
 genitum Deum, Verbum, Dominum,
 Jesum Christum: item ejusdem Do-
 mini Nostri Jesu Christi Divinitatem
 secundum quam consubstantialis est
 Patri, et Spiritui Sancto impassibi-
 lem esse, et immortalem, eundem
 autem Crucifixum, et mortuum tan-
 tummodo secundum carnem, ut pa-
 riter definitum est in dicta Synodo,
 et in Epistola S. Leonis Romani Pon-
 tificis cujus ore B. Petrum Aposto-
 lum loquutum esse Patres in eadem
 Synodo acclamaverunt, per quam
 definitionem damnatur impia here-
 sis illorum, qui Trisagio ab Ange-
 lis tradito, et in præfata Calcedonen-
 si Synodo decantato, Sanctus Deus,
 Sanctus fortis, Sanctus immortalis
 miserere Nobis, addebant, qui Cru-
 cifixus es pro Nobis, atque adeo Di-
 vinam naturam trium personarum
 passibilem asserebant, et mortalem;
 Constantinopolitanam secundam,
 quintam in ordine, in qua præfata
 Calcedonensis Synodi definitio reno-
 vata est; Constantinopolitanam ter-
 tiam, sextam in ordine, et pro-
 fiteor, quod in ea contra Mono-

„ thelitas definitum est, in uno, eo-
 „ demque Domino Nostro Jesu Christo
 „ duas esse naturales voluntates et duas
 „ naturales operationes indivise, in-
 „ convertibiliter, inseparabiliter, incon-
 „ fuse, et humanam ejus voluntatem
 „ non contrariam, sed subjectam Di-
 „ vine ejus, atque omnipotenti volun-
 „ tati; Nicænam secundam, septi-
 „ mam in ordine, et profiteor, quod
 „ in ea contra Iconoclastas definitum
 „ est, Imagines Christi, ac Deiparæ Vir-
 „ ginis, nec non aliorum Sanctorum
 „ habendas, et retinendas esse, atque
 „ eis debitum honorem, et venera-
 „ tionem impertiendam. Constantino-
 „ politanam quartam, octavam in or-
 „ dine, et profiteor in ea, Photium me-
 „ rito fuisse damnatum, et S. Ignatium
 „ Patriarcham restitutum; veneror
 „ etiam, et suscipio omnes alias uni-
 „ versales Synodos, auctoritate Roma-
 „ ni Pontificis legitime celebratas, et
 „ confirmatas, et præsertim Florenti-
 „ nam Synodum, et profiteor, quæ
 „ in ea definita sunt, videlicet, quod
 „ Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio
 „ æternaliter est, et essentiam suam,
 „ suumque esse subsistens habet ex Pa-
 „ tre simul, et Filio, et ex utroque
 „ æternaliter tamquam ab uno prin-
 „ cipio, et unica spiratione procedit;
 „ item dictionem illam, Filioque, veri-
 „ tatis declarandæ gratia, et imminen-
 „ te necessitate licite, ac rationabiliter
 „ Symbolo fuisse appositam. Item in
 „ azymo, sive fermentato pane triticeo
 „ Corpus Christi veraciter confici, Sa-
 „ cerdotesque in altero ipsum Domini
 „ Corpus conficere debere, unumquem-
 „ que scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive
 „ Occidentalis, sive Orientalis consue-
 „ tudinem. Item si vere pœnitentes in
 „ Dei charitate decesserint, antequam
 „ dignis pœnitentiæ fructibus de com-
 „ missis satisfecerint, et omissis,
 „ eorum animas pœnis Purgatorii post
 „ mortem purgari, et ut a pœnis hu-
 „ jusmodi releventur, prodesse eis Fi-
 „ delium vivorum suffragia, Missarum
 „ scilicet sacrificia, orationes et elee-
 „ mosynas, ac alia pietatis officia, quæ
 „ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri
 „ consueverunt secundum Ecclesiæ insti-
 „ tutum, illorumque animas, qui post
 „ Baptisma susceptum, nullam omnino
 „ peccati maculam incurrerunt, illas
 „ etiam, quæ post contractam pecca-
 „ ti maculam, vel in suis corporibus,
 „ vel eisdem exutæ sunt purgatæ, in
 „ Cælum mox recipi, et intueri clare,
 „ ipsum Deum Trinum, et Unum, si-

„ cuti est, pro meritorum tamen di-
 „ versitate alium alio perfectius; illorum
 „ autem animas, qui in actuali mor-
 „ tali peccato, vel solo originali dece-
 „ dunt, mox in Infernum descendere,
 „ pœnis tamen disparibus puniendas.
 „ Item S. Apostolicam Sedem, et Ro-
 „ manum Pontificem in universonum Or-
 „ bem tenere primatem, et ipsam Pon-
 „ tificem Romanum Successorem esse
 „ B. Petri Principis Apostolorum, et
 „ verum Christi Vicarium, totiusque
 „ Ecclesiæ caput, ac omnium Chri-
 „ stianorum Patrem ac Doctorem exi-
 „ stere, et ipsi in B. Petro pasceudi,
 „ regendi, et gubernandi universalem
 „ Ecclesiam a Domino Nostro Jesu
 „ Christo plenam potestatem traditam
 „ esse, quemadmodum etiam, ut ea-
 „ dem Florentina Synodus asserit, in
 „ gestis OEcumenicorum Conciliorum,
 „ et in Sacris Canonibus continetur.
 „ Item legalia Veteris Testamenti seu
 „ Mosaicæ legis cæremonias, sacra sa-
 „ crificia, et Sacramenta, Domino Je-
 „ su Christo adveniente cessasse et post
 „ promulgatum Evangelium sine pec-
 „ cato observari non posse; ejus-
 „ dem etiam legis veteris cyborum
 „ mundorum, et immundorum diffe-
 „ rentiam ad cæremonialia pertinere,
 „ quæ surgente Evangelio transierunt.
 „ Illam etiam Apostolorum prohibitio-
 „ nem ab immolatis simulacrorum, et
 „ sanguinæ, et suffocato, illi tempori
 „ congruisse, ut inter Judæos, et Gen-
 „ tiles dissentionis materia tolleretur,
 „ cujus Apostolicæ prohibitionis causa
 „ cessante, etiam cessavit effectus. Pa-
 „ riter veneror, et suscipio Tridenti-
 „ nam Synodum, et profiteor, quæ in
 „ ea definita, et declarata sunt, et præ-
 „ sertim offerri Deo in Missa, verum,
 „ propriam, et propitiatorium Sacri-
 „ ficium pro vivis, et defunctis, atque
 „ in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramen-
 „ to, juxta Fidem, quæ semper in Ec-
 „ clesia Dei fuit, contineri vere, rea-
 „ liter et substantialiter Corpus, et San-
 „ guinem, una cum Anima, et Di-
 „ vinitate D. N. Jesu Christi, ac proin-
 „ de totum Christum, fierique conver-
 „ sionem totius substantiæ panis in Cor-
 „ pus, et totius substantiæ vini in San-
 „ guinem, quam conversionem Catho-
 „ lica Ecclesia aptissime Transubstan-
 „ tiationem appellat, et sub unaquaque
 „ specie, et singulis cujusque speciei
 „ partibus, separatione facta, totum
 „ Christum contineri. Item septem esse
 „ novæ legis Sacramenta a Christo Do-
 „ mino nostro instituta ad salutem hu-

„ mani generis, quamvis non omnia
 „ singulis necessaria, videlicet, Ba-
 „ ptismum, Confirmationem, Eucha-
 „ ristiam, Pœnitentiam, Extremam Un-
 „ ctionem, Ordinem, et Matrimonium
 „ illaque gratiam conferre, et ex his
 „ Baptismum, Confirmationem, et Or-
 „ dinem iterari non posse. Item Ba-
 „ ptismum esse necessarium, ad sal-
 „ utem, ac proinde, si mortis peri-
 „ culum immineat, mox sine ulla di-
 „ latione conferendum esse, et a quo-
 „ cumque, et quodcumque sub de-
 „ bita materia, et forma, et intentione
 „ collatum, esse validum. Item Sacra-
 „ menti Matrimonii vinculum indisso-
 „ lubile esse, et quamvis propter adul-
 „ terium, hæresim, aut alias causas
 „ possit inter Conjuges, Thori, et Co-
 „ habitationis separatio fieri, non ta-
 „ men illis aliud Matrimonium con-
 „ trahere fas esse. Item Apostolicas, et
 „ Ecclesiasticas traditiones suscipiendas
 „ esse, et venerandas. Indulgentiarum
 „ etiam potestatem a Christo Ecclesiæ
 „ fuisse relictam, illarumque usum
 „ Christiano Populo maxime salutarem
 „ esse. Pariter quæ de peccato originali,
 „ de justificatione, de Sacrorum Libro-
 „ rum, tam veteris, quam novi Te-
 „ stamenti indice, et interpretatione in
 „ præfata Tridentina Synodo definita
 „ sunt suscipio, et profiteor. Cætera
 „ item omnia suscipio, et profiteor,
 „ quæ recipit, et profitetur S.R.E. si-
 „ mulque contraria omnia, et schis-
 „ mata, et Hæreses ab eadem Ecclesia
 „ damnatas, rejectas, et anathemati-
 „ zatas, ego pariter damno, rejicio,
 „ et anathematizo. Insuper Romano
 „ Pontifici B. Petri Principis Aposto-
 „ lorum Successori, ac Jesu Christi Vi-
 „ cario veram obedientiam spondeo,
 „ ac juro. Hanc Fidem Catholicæ Ec-
 „ clesiæ, extra quam nemo salvus esse
 „ potest, quam in præsentî sponte pro-
 „ fiteor, et veraciter teneo, eandem
 „ integram, et inviolatam usque ad ex-
 „ tremum vitæ spiritum constantissime,
 „ Deo adjuvante, retinere, ac confite-
 „ ri, atque a meis subditis, vel illis
 „ quorum cura ad me in meo mune-
 „ re spectabit, teneri, doceri, et præ-
 „ dicari, quantum in me erit, curatu-
 „ rum, ego idem Maximus Electus,
 „ qui supra, spondeo, voveo, et juro,
 „ sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta
 „ Dei Evangelia = Forma vero juramen-
 „ ti quod præstabis hæc est = Ego Ma-
 „ ximus Electus Patriarchalis Ecclesiæ
 „ Antiochenæ Nationis Græco-Melchi-
 „ tarum ab hac ora in antea fidelis,

„ et obediens ero Beato Petro, Sanctæ-
 „ que Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ,
 „ ac D. N. Domino Clementi PP. XIII.
 „ suisque successoribus canonice in-
 „ trantibus; non ero in consilio, aut
 „ consensu, vel facto, ut vitam perdant,
 „ aut membrum, seu capiantur mala
 „ captione, aut in eos violenter manus
 „ quomodolibet ingerantur, seu injuriæ
 „ aliquæ inferantur quovis quæsito co-
 „ lore: Consilium vero, quod mihi cre-
 „ dituri sunt per se, aut Nuntios, seu
 „ literas, ad eorum damnum, me scien-
 „ te, nemini pandam: Papatum Ro-
 „ manum, et Regalia S. Petri adjutor
 „ eis ero ad defendendum, et retinen-
 „ dum contra omnem hominem; Le-
 „ gatum Apostolicæ Sædis in eundo,
 „ et redeundo honorifice tractabo, et
 „ in suis necessitatibus adjuvabo: jura,
 „ honores, et privilegia, et authorita-
 „ tem Romanæ Ecclesiæ D. N. Papæ
 „ et successorum prælatorum conser-
 „ vare, defendere augere, et promo-
 „ vere curabo; Nec ero in consilio fa-
 „ cto, vel tractatu in quibus contra
 „ ipsum Dominum Nostrum, vel eam-
 „ dem Romanam Ecclesiam aliqua si-
 „ nistra, vel præjudicialia personæ, ho-
 „ noris, juris, status, et potestatis eorum
 „ machinentur, et si talia a quibus-
 „ cumque procurari novero, vel tra-
 „ ctari, impediam hoc pro posse, et
 „ quantocius potero, comode significa-
 „ bo eidem D.N. vel alteri, per quem
 „ ad ipsius notitiam poterit pervenire.
 „ Regulas Sanctorum Patrum, decreta,
 „ ordinationes, sententias, dispositio-
 „ nes, reservationes, provisiones, et
 „ mandata Apostolica, totis viribus ob-
 „ servabo, et faciam ab aliis observa-
 „ ri: Hæreticos, et Schismaticos, ac
 „ rebelles D.N. et Successoribus præ-
 „ fatis pro posse persequar, et impu-
 „ gnabo, vocatus ad Synodum veniam,
 „ nisi præpeditus fuero canonica præ-
 „ peditio: Apostolorum limina sin-
 „ gulis decenniis personaliter, ac per
 „ me ipsum visitabo, et Domino No-
 „ stro, et Successoribus præfatis ratio-
 „ nem reddam de toto meo Pastoralis
 „ Officio, deque rebus omnibus ad Ec-
 „ clesiæ meæ statum, ad Cleri, et Po-
 „ puli disciplinam, animarum denique,
 „ quæ meæ Fidei credite sunt, salu-
 „ tem quoquomodo pertinentibus, et
 „ vicissim mandata Apostolica præfata
 „ humiliter recipiam, et quam dili-
 „ gentissime exequar: quod si legiti-
 „ mo impedimento detentus fuero, præ-
 „ fata omnia adimplebo per certum
 „ Nuntium, ad hoc speciale mandatum

Item formula
 prebet jura-
 menti præstan-
 di.

„ habentem de gremio Capituli mei ,
 „ aut alium in dignitate Ecclesiastica
 „ constitutum , seu alias Personatum
 „ habentem , aut his mihi deficientibus
 „ per Diocesenum Sacerdotem , et
 „ Clero deficiente omnino , per aliquem
 „ alium Præbyterum sæcularem , vel
 „ regularem spectatæ probitatis , et re-
 „ ligionis de supradictis omnibus ple-
 „ ne instructum ; de hujusmodi autem
 „ impedimento docebo per legitimas
 „ probationes ad S. R. E. Cardinalem
 „ proponentem in Congregatione Sacri
 „ Concilii Tridentini per supradictum
 „ Nuntium transmittendas. Possessiones
 „ vero ad Mensam meam pertinentes
 „ non vendam , neque donabo , neque
 „ impignorabo , neque denuo infeuda-
 „ bo , vel alio modo alienabo , etiam
 „ cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ,
 „ inconsulto Romano Pontifice , et Con-
 „ stitutionem super prohibitionem in-
 „ vestiturarum bonorum Jurisdictiona-
 „ lium , de Anno Domini Millesimo sex-
 „ centesimo vigesimo quinto editam
 „ servabo , et si ad aliquam alienatio-
 „ nem devenero , pœnas in eadem
 „ super hoc edita Constitutione conten-
 „ tas , eo ipso incurrere volo : Sic me
 „ Deus adjuvet , et hæc Sancta Dei
 „ Evangelia.

Patriarchalis
 Pallii transmis-
 sionem quum
 postulatio fa-
 cta fuerit pro-
 mittit.

Cæterum Pallium , insigne videlicet
 plenitudinis Pontificalis Officii de cor-
 pore Beati Petri Apostoli sumptum ,
 tunc ad Fraternalitatem Tuam , cum per
 tuum Nuntium ea qua decet instantia
 postulatum fuerit , destinandum , trans-
 mittendumque mandabimus . Non ob-
 stantibus iis omnibus , quæ in præin-
 sertis Nostris literis volumus non ob-
 stare , cæterisque contrariis quibuscum-
 que . Datum Romæ apud S. Mariam
 Majorem sub annulo Piscatoris die pri-
 ma Augusti MDCCLX. Pontificatus Nostri
 Anno Tertio.

CLIX.

Monasterium S. Mariæ de Salem Or-
 dinis Monachorum Cisterciensium in
 specialem S. Sedis protectionem sus-
 cipit , et Apostolicas Literas Alexan-
 dri VII. super Monasticæ disciplinæ
 observantia confirmat una cum Con-
 stit. Benedicti XIV. super Clausura
 Monasteriorum.

Dat. die 8. Aug.
 1760. Ann. Ter-
 tio.

Cisterciensem Ordinem Monachorum S.
 Benedicti reformavit Benedictus XII.
 Const. edit. Anno 1335. Jul. 2. Ab-
 stinentiam a carnibus non esse de
 substantialibus regulæ Monachorum
 hujus Ordinis , sancivit Alexander VI.
 Const. edit. Ann. 1475. Idib. Decembr.
 Quod Monachi , et Moniales Ordinis
 Cisterciensis vestibus albi tantum , et
 nigri coloris uti deberent sancivit Si-
 xtus IV. Const. edit. Ann. 1475.
 Dec. 13. Congregationes Monacho-
 rum Cisterciensium in Provinciis Thus-
 ciæ , et Lombardiæ univit , unamque
 Congregationem instituit nuncupan-
 dam S. Bernardi in Italia Alexan-
 der VI. Const. Ann. 1497. Dec. 23.
 Cisterciensibus Reformatis Hispaniæ
 ut carnibus libere , et licite vesci va-
 lereat permisit Pontifex idem Const.
 Ann. 1498. Idib. Nov. Quod Cister-
 cienses absque scrupulo conscientiæ
 possint vesci carnibus intra , et ex-
 tra septa Monasterii , cum ab il-
 lis abstinentia non sit de substantia-
 li regulæ , declaravit Alexander VII.
 Const. Ann. 1657. Nov. 10. Abbates
 Ordinis Cisterciensis utentes dispen-
 satione Apostolica circa usum car-
 niuum privari non posse voce activa ,
 et passiva virtute Sententiarum Visi-
 tatoris Apostolici sancivit Pontifex
 idem Const. Ann. 1661. Jul. 2. Con-
 tra nonnullos Monachos Cistercienses in
 Gallia abstinentes nuncupatos , indul-
 tis a Sede Apostolica concessis obe-
 dire nolentes , adest constitut. altera
 ejusdem Pontificis Ann. 1662. Jun. 16
 quæ omnes sunt in Bullario Mainar-
 dii , exceptis secunda , et quinta ,
 quæ in eo prætermisæ sunt. Etiam
 in Bullario Benedicti XIV. deside-
 rantur Literæ diei 15 Julii 1552 de
 quibus in præsentibus expressa est
 mentio.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

§. 1. Impositi Nobis cœlitus pa-
 storalis Officii sollicitudo postulat , ut

Exordium

Christifidelium, qui e mundi fluctibus ad Religiosæ vitæ portum confugerunt, paternam curam gerentes, iis, quæ ad Regularem disciplinam, æternamque eorum salutem, et totius Christiani populi edificationem, utilitatemque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostri provide constituta sunt, firmiter constabiliendis, et ubi labefactata fuerint reparandis, ipsi quoque, adstipulante Apostolicæ authoritatis præsidio, adlaboremus.

Exponuntur
sanctiones Alex-
andri VII ad
restituendam
in hoc Ordine
Monasticam di-
sciplinam.

§. 2. Nuper exposuerunt Nobis Dilecti Filii Anselmus Abbas, et Monachi insignis Monasterii S. Mariæ de Salem Apostolicæ huic Sedi inmediate subjecti, quod cum Fel. Rec. Alexander VII. Decessor Noster cognovisset, celeberrimam antiquitate, ac morum sanctitate Cisterciensem Familiam, a primæva Religiosæ institutionis semita non parum deflexisse, animum induxit ad Monasticam disciplinam in ea restituendam, ejusque propterea instaurationem, atque reformationem particulari cuidam Cardinalium Congregationi demandavit, ut articulos, sive reformationis capita a tunc temporis Supremo totius Ordinis Præfecto, aliisque Monachis propositos; diligenter, accurateque perpenderet: quo facto, postquam idem Alexander articulos illos, seu capita rite prius digesta, et ad S. Benedicti regulam diligenter librata fuisse animadvertit, pro felici totius Cisterciensis Ordinis regimine, atque incolumitate, Apostolici roboris munimine confirmavit, et ab universis Cisterciensis Familiæ Alumnis, sancte, inviolateque custodiri præcepit ut ex Apostolicis ejus literis, tenoris sequentis viderelicet. « Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam = In suprema Sedis Apostolicæ specula dispositione Divina constituti, Dominicum gregem cœlitus nobis commissum circumspicientes, mentis nostræ aciem convertimus in Sacrum Ordinem Cisterciensem, cujus odor sicut agri pleni suavitas, cui Dominus benedixit, totam replevit Ecclesiam, et veluti fons hortorum irriguus, cæteras irrigavit Religiones, et Ordines. Verum volventibus Annis, non sine magno animi Nostri mœrore cognovimus, Ordinem memoratum a primævæ institutionis tramite ob temporum injuriam, et calamitatem non modicum deflexisse, et plurima passam esse in spiritualibus, et temporalibus detrimenta. Quare Nos ex debito pastoralis Officii singulari ze-

lantes affectu, ad tanti Ordinis instaurationem, ac reformationem, divino fræti auxilio, Nostræ sollicitudinis partes duximus impendendas: ut Monastica disciplina, ubi collapsa fuerit, restituatur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, unitas servetur in Ordine, et præcisissimis dissensionibus, ac dissidiis, quæ in Regno Galliarum inter comunis, et strictæ observantiæ Monachos jamdudum exorta sunt, sincera pax, et mutua charitatis Officia benedicente Domino reintegrentur = Alias siquidem per nostras Literas in forma Brevis expeditas die 16. Jan. 1662. Pontificatus Nostri Anno VII., de voto particularis Congregationis a Nobis deputatæ, quæ scripturas hinc inde datas vidit, et examinavit, causam ipsius reformationis in statu, et terminis, in quibus tunc reperiebatur, a quocumque Tribunali ad Nos evocavimus, ac dilecto Filio Claudio Vaussin Abbati Cistercii, totius Ordinis Generali dedimus in mandatis, ut advocaret, seu moneret viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia quam aliunde ad exhibendum infra tres menses dictæ Congregationi particulari deputatæ, articulos concernentes dictam reformationem a Nobis institutam, et alias ut in memoratis Literis plenius continetur. Cumque prædictus Claudius nostris parendo mandatis, reformationis articulos ad Nos transmiserit, idemque præstiterint dilecti filii Abbates strictæ observantiæ, in Gallia multis ab hinc annis introductæ: Nos hujusmodi articulos utrimque exhibitos, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum a Nobis desuper institutæ, sedulo, et mature examinandos, et expendendos commisimus, quorum quidem articulorum ad generalem reformationem Ordinis Cisterciensis conveniens restrictio, ad Capita Sancti Benedicti regulæ reductio talis est videlicet = *Circa caput secundum Regulæ qualis esse debeat Abbas* = Juxta Sacri Concilii Tridentini decreta summa cura satagant dicti Ordinis Abbates, et Superiores ut a suis utriusque sexus subditis essentialia vota, quæ sunt basis, et fundamenta totius Regularis disciplinæ inviolabiliter observentur. Ipsi vero Abbates, et Superiores, forma gregis facti ex animo exemplum præbeant in

„ omnibus , magistram sequentes re-
 „ gulam. = Habeant Abbates , et Con-
 „ ventus propria sigilla , et teneantur
 „ novi Abbates præstare juramentum
 „ de non alienandis , et impignorandis
 „ bonis Monasterii , ac de pecuniis ,
 „ et redditibus illius inutiliter non ex-
 „ pendendis : et omnes Officiales idem
 „ juramentum præstabant de suis mu-
 „ niis fideliter exercendis ; et de mu-
 „ tuis non contrahendis , nisi servatis
 „ Constitutionibus Apostolicis . = Cum
 „ ad Monasticam disciplinam restau-
 „ randam , et restitutam conservandam ,
 „ maxime Visitatores Regulares condu-
 „ cant , Capitulum Generale , Abbas Ci-
 „ stericii Ordinis Generalis , et quatuor
 „ primi Abbates de Firmitate , de Pon-
 „ tigniaco , de Claravalle , et de Mo-
 „ rimundo provideant diligenter , ut
 „ singulis annis sollicitè , charitative
 „ prudenter , et cum pietate fiant ad
 „ animarum salutem , cultum divinum ,
 „ votorum exentialium observantiam ,
 „ et alia quæ ad mores , correctionem
 „ et personarum regularium edifi-
 „ cationem , nec non administra-
 „ tionem , et statum temporalem per-
 „ tinent . Caveant vero maxime Visita-
 „ tores ab omni donorum receptione ,
 „ et etiam ne nimium numeroso comi-
 „ tatu , aut familia , gravioribus quam
 „ expediat expensis Monasteria onerent
 „ , et manducent tempore Visitationis
 „ in refectorio cum Fratribus propter
 „ disciplinam servandam = Abbates
 „ Regulares etiam perpetui , subja-
 „ ceant Visitationi , et correctioni Vi-
 „ sitorum etiam non Abbatum , et ab
 „ ipsis ad sufficientem numerum Mo-
 „ nachorum debite , et religiose enu-
 „ triendum , ædificiorum reparationes ,
 „ annuas Ordinis contributiones solven-
 „ das , communia Ordinis , et Provin-
 „ ciarum onera sustinenda , jurisdic-
 „ tionis suspensione , aliisque Ecclesia-
 „ sticis pœnis , et censuris , servato ju-
 „ ris ordine cogantur . = Ad residen-
 „ tiam in suis propriis Monasteriis prout
 „ de jure teneantur ; nec in Castellis ,
 „ nec in Grangiis , aut alibi extra se-
 „ pta Monasteriorum suorum commo-
 „ rentur ; neque quarumcumque Mo-
 „ nialium alterius Ordinis regimen , et
 „ Visitationem absque expressa Summi
 „ Pontificis licentia , sub pœna priva-
 „ tionis vocis activæ , et passivæ ipso
 „ facto incurrenda , suscipere audeant =
 „ Inter Abbates Regulares , et Conven-
 „ tus , et Officiales Monasteriorum ,
 „ nulla fiat partitio bonorum , fructuum ,
 „ reddituum , et proventum eorum ;

„ sed communibus ipsorum usibus de-
 „ putentur juxta statutum Benedicti Pa-
 „ pæ XII. nisi pro meliori regimine ,
 „ et utilitate quorundam Monasterio-
 „ rum ad impediendas dilapidationes a
 „ Capitulo Generali , vel a comitiis in-
 „ termediis aliter judicaretur . = Procu-
 „ rent tamen Superiores , et Visitato-
 „ res Ordinis , ut in Monasteriis com-
 „ mendatis quantum fieri poterit , pen-
 „ siones Religiosorum , et famulantium
 „ in bonis stabilibus assignentur . = Cir-
 „ ca caput 3. de adhibendis in Con-
 „ siliium Fratribus = Capitula Genera-
 „ lia quolibet triennio apud Cistercium
 „ celebrentur , eisque omnes Abbates ,
 „ nisi legitime impediti , aut ob justas
 „ causas excusati , simul , et Abbates a
 „ Congregationibus deputati , Procura-
 „ tores Generales , Visitatores , et Syn-
 „ dici Provinciarum , Collegiorum Pro-
 „ visores , seu Rectores adesse tenean-
 „ tur ; de sibi commissis muneribus actis ,
 „ et per se gestis rationem reddituri ,
 „ et de agendis , aut reformandis in
 „ posterum de timore Dei , juxta regu-
 „ laria Ordinis instituta , et Constitu-
 „ tiones Apostolicas tractaturi = Licet
 „ autem soli Diffinitores vocem decisi-
 „ vam in diffinitionibus condendis ha-
 „ beant , tamen omnes Abbates , et
 „ aliæ personæ idoneæ , et de Ordine
 „ benemeritæ , judicio Abbatis Gene-
 „ ralis , et quatuor primorum Abba-
 „ tum designandæ , et post electionem
 „ Diffinitorum nominandæ , vocem con-
 „ sultivam habebunt . = Serventur quo-
 „ que Constitutiones circa numerum
 „ eorum , quos Abbates dicti Ordinis
 „ venientes ad Capitulum secum ducere
 „ olim poterant , nullusque , qui non
 „ habet jus interveniendi , vel non fue-
 „ rit vocatus , absque licentia petita ,
 „ et obtenta ab Abbate Generali , ad
 „ dicta Capitula accedere audeat = Et
 „ quia in dies multa emergunt nego-
 „ tia , quæ matura deliberatione indi-
 „ gent , quolibet tempore intermedio
 „ inter duo Capitula die , et loco per
 „ Abbatem Cisterciensem designandis ,
 „ ipse Cisterciensis , et quatuor primi
 „ Abbates convenient cum aliis ex Vi-
 „ sitoribus Provincialibus Monasterio-
 „ rum utriusque Observantiæ , Præsidi-
 „ bus Congregationum , Procuratoribus
 „ Generalibus , et Syndicis Provincia-
 „ rum , qui negocia magni momenti
 „ agenda habebant , et ut celebratio dic-
 „ ti Conventus sit omnibus nota , ipse
 „ Generalis Abbas eam more solito an-
 „ te sex menses Præsilibus Congrega-
 „ tionum , Visitoribus Provinciarum ,

„ Procuratoribus Generalibus , et Syn-
 „ dicis indicere tenebitur , ut ad dic-
 „ ctam Congregationem accedant , vel
 „ mittant , certioresque faciant dictum
 „ Abbatem Generalem , et quatuor pri-
 „ mos de statu Congregationum sua-
 „ rum : præter quem Conventum , nul-
 „ lus alius in toto Gallix Regno fiat sub
 „ quocumque prætextu , nisi a Capi-
 „ tulo Generali fieri concedatur = Vi-
 „ sitatores Provinciarum Monasteriorum
 „ communis observantiæ , a Capitulo
 „ Generali , aut ipso cessante , ab Ab-
 „ bate Cisterciensi de Consilio , et con-
 „ sensu quatuor Primorum Abbatum ,
 „ sicut alii publici Officiales instituan-
 „ tur non solum ex numero Religio-
 „ sorum probatorum communis obser-
 „ vantix , sed etiam , si ita expediens
 „ judicaverint , ex numero Religiosorum
 „ strictæ observantiæ , seu abstinentiæ
 „ quorum consilio , et opera uti pote-
 „ runt , ad præsentem reformationem
 „ instituendam = Item provisor Colle-
 „ gii Parisiensis , Procurator , Doctores ,
 „ Regentes , et alii Officiales secundum
 „ Benedicti Papæ XII. Constitutionem ,
 „ per Capitulum Generale Ordinis , aut
 „ eo cessante , sicut consuetum est , ab
 „ Abbate Cisterciensi , auctoritate Ca-
 „ pituli Generalis fungente , instituan-
 „ tur , et destituantur usque ad Capi-
 „ tulum Generale , vel intermedium ;
 „ sive sint ex communi observantia ;
 „ sive ex strictiori = Similiter consul-
 „ tis Provinciarum Visitoribus super
 „ merita , vel demerita Religiosorum ,
 „ instituantur , et destituantur a dicto
 „ Abbate Generali , et quatuor prima-
 „ riis Abbatibus , et aliis filiationem
 „ habentibus respectivè Priores , Clau-
 „ strales , et Confessores in Monaste-
 „ riis Monialium ad nutum amovibili-
 „ les , observato moderamine , ut in
 „ Monasteriis comendatis strictioris ob-
 „ servantiæ virorum , ac Monialium
 „ nullum instituere possint , qui non
 „ profiteatur abstinentiam : et licet
 „ omnes Ordinis Officiales , et Mona-
 „ steriorum Priores sint ad nutum amo-
 „ vibles , attamen quolibet triennio suo-
 „ rum Officiorum , et Prioratum vo-
 „ luntariam dimissionem in scriptis fa-
 „ ciant Capitulo Generali , Abbati Ci-
 „ stercii , quatuor primis Abbatibus ,
 „ et aliis Superioribus a quibus respec-
 „ tive fuerint instituti , cum faculta-
 „ te tamen eos contiinuandi in Officiis ,
 „ et Prioratibus , quamdiu ipsos repe-
 „ rerint , et judicaverint idoneos = *Cir-
 „ ca Caput 6. de taciturnitate* = Lau-
 „ dabilem morem servandi silentium a

„ Completorio usque ad tempus Capi-
 „ tuli diei sequentis in omni loco , et
 „ semper in locis Regularibus , puta in
 „ Claustro Regulari , in Ecclesia , in
 „ Dormitorio , in Refectorio , et in Ca-
 „ lefactorio omnes teneant , cum facul-
 „ tate tamen petendi necessaria , sub-
 „ missa voce absque conscientix scru-
 „ pulo = *Circa caput 8. usque ad 20.
 „ inclusive , de forma Divini Officii , et
 „ modo psallendi* = Forma ista exactis-
 „ sime observetur , et materia ab Ec-
 „ clesiæ Romanæ usu ad Dei gloriam ,
 „ et proximi ædificationem sumatur ,
 „ prout hactenus consuevit Ecclesia Ci-
 „ sterciensis , cui tamquam matri , omnes
 „ aliæ Ecclesiæ dicti Ordinis ex char-
 „ ta charitatis , Eugenii III. , et Pii V.
 „ definitionibus , et præceptis confor-
 „ mari tenentur : Ut autem hæc uni-
 „ formitas in Divino Officio persolven-
 „ do teneatur in omnibus Ordinis Mo-
 „ nasteriis , iisdem ritibus , et cantu ,
 „ et libris omnibus ad diurnas , et no-
 „ eturnas horas , et Missas necessariis ,
 „ secundam prædictam formam Cister-
 „ ciensis Monasteri omnes utantur =
 „ Horis Canonicis , Officio Beatæ Vir-
 „ ginis , et Defunctorum juxta usus ,
 „ et consuetudines laudabiles hujus Or-
 „ dinis in choro recitandis , et decan-
 „ tandis , omnes , et singuli cum co-
 „ cullis intersint , et horas Canonicas
 „ cum cantu Gregoriano juxta regulas
 „ persolvant = Diebus Festivis solem-
 „ nioribus surgent hora secunda post
 „ mediam noctem , aliis vero diebus
 „ temperantius , prout a Capitulo Ge-
 „ nerali determinabitur , Horis Matr-
 „ tinis post officium Beatæ Mariæ Vir-
 „ ginis , et post Completorium , aut
 „ aliis horis competentibus , vacent per
 „ mediam horam qualibet vice medi-
 „ tationi , et per decem dies exercitiis
 „ spiritualibus semel in Anuo = *Circa
 „ caput 22. quomodo dormiant Mona-
 „ chi* = Omnes tam Abbates quam Mo-
 „ nachi , tam Abbatissæ quam Monia-
 „ les in comuni dormitorio recumbant ,
 „ illis exceptis quos , aut quas ratio-
 „ ne officiorum suorum , aut negocio-
 „ rum , aut alias justas causas ab eo
 „ excusari oporteat , juxta Abbatis , aut
 „ aliorum Officialium judicium. Quam-
 „ vis autem regula jubeat , et etiam
 „ Benedicti Papæ XII. constitutio præ-
 „ cipiatur , ut omnes in uno loco dor-
 „ miant , sine cellis separatis , tamen
 „ ob majorem modestiam , et vitæ ho-
 „ nestatem , sicut longa experientia com-
 „ probatum est , et ad consulendum
 „ cujuslibet infirmitatibus , dictarum

cellarum usus venit tollerandus, dummodo juxta Clementis Papæ VIII. decreta habeat Superior clavem, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit. Nullusque etiam noctu cellam ita claudat quia a Superiore possit aperiri. Sit etiam in foramen pendula, vel ductili tabula coopertum. Vestiti dormiant omnes cum parvo caputio albo; lectisternia, secundum regulam in eis disponantur, et suppellex talis sit, ut statui paupertatis quam professi sunt Monachi conveniat: nihil superflui in ea sit, nihil etiam in ea necessarii desit = *Circa Caput. 28. De his qui sæpius correcti non emendantur* = Observentur Sacræ Congregationis Concilii decreta de Regularibus Apostatis, et ejectis, et juxta illa dumtaxat, incorrigibiles e Monasteriis, et Ordine ejiciantur = *Circa Caput 31. de Cellerario* = Administratio honorum temporalium secundum Concilii Tridentini Decretum fiat per Officiales, prout scilicet eis injunxerit Abbas, ad nutum amovibiles, sic ut de omnibus receptis, et expensis coram Abbate, seu Superiore, et Senioribus domus fidelem teneantur reddere rationem: pecuniæ vero omnes ab uno Bursario per Abbatem, aut Superiorem de Consilio Seniorum stabiliendo servantur in arca sub tribus clavibus; quarum una apud Abbatem, aut Superiorem maneat, aliam custodiat Senior domus, tertiam vero ipse Bursarius. Nullus ex Superioribus locorum administrationem honorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, et reddituum sui Conventus, etiam nomine Conventus per seipsum habere, seu exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, et honorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, aliter tamquam Depositarius pecunias ac cætera ab illo collecta, et exacta fideliter asservet, alias de pecuniis ac rebus a Depositario acceptis, Superiori, et Fratribus ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Superiore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta. = *circa Caput 33. Si quid debeant Monachi proprium habere* = Observetur ubique vita communis juxta Concil. Trid.

Benedicti XII, et Clementis VIII. decreta: nec cuiquam Regularium tam Virorum, quam Mulierum dicti Ordinis liceat aliqua bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, nec fas sit Superioribus alicui Regulari concedere bona stabilia, aut certi bladi, panis, vini, vel pecuniæ pensiones dare, etiam pretextu contractuum initorum, vel ineundorum inter Monachos communis, et strictioris observantiæ, quos SSñus D. N. Alexander VII. declaravit per Suas in forma brevis Literas de die 8. Mensis Martii 1660. nullos, irritos, illicitos, et paupertatis religiosæ contrarios; sed omnia omnia sint communia, et dantur unicuique secundum cujuscuque Monasterii facultates, regionum qualitates, omnia necessaria tum ad victum, tum ad vestitum, sive sano, sive ægro sive seni, sive juveni, sine ulla personarum acceptione, et habita tantum ratione necessitatis = *Circa Caput 39. de Mensura ciborum* = Qui abstinentiam a carnibus amplexi sunt, aut in posterum amplectentur, illam exacte retineant, et nemini illorum liceat, ad comunem ipsius Ordinis observantiam transire, nisi petita, et obtenta facultate a Summo Pontifice pro tempore existente, aut saltem a Capitulo Generali, vel eo cessante ab Abbate Cisterciensi. Nulli etiam communis observantiæ Professori propter pacis, et charitatis custodiam liceat ad dictam perpetuam abstinentiam transire, non petita licentia saltem a suo Patre immediate: ad quam abstinentiam amplectendam Superiores nullum, qui nec fuerit in ea educatus possint cogere, nec ullus, licentia utendi carnibus auctoritate Apostolica, omnibus personis Regularibus Ordinis, etiam sanis, et bene se habentibus data, et ab eadem approbata, et denuo concessa frui possit, nisi tribus diebus tantum in hebdomada, extra tempus Adventus, Septuagesimæ, et aliud ab Ecclesia prohibitum. = *Circa Caput 41. quibus horis oporteat reficere Fratres* = Jejunia non solum Ecclesiastica, sed etiam a regula, et a Constitutionibus præscripta servantur, Ecclesiastica moderatione. Circa tempus refectionis, senum, juniorum, et infirmorum habetur ratio: insuper de jejniis regulæ aliquando possint dispensare Superiores, pro personarum, locorum, et regionum, et anni tempestatum con-

sideratione, ut aliqui fructus, et alia
 id genus alimenta in collatione, seu
 refectiuncula concedi jejunantibus pos-
 sint. = *Circa Caput 51. de Fratibus*,
 qui non longe satis proficiuntur = Lau-
 dabilis consuetudo introducta serve-
 tur = *Circa caput 53. De hospitibus sus-
 cipiendis* = Ad hospitalitatem tanto pe-
 re comendatam sint ferventiores Mo-
 nasteriorum Superiores, sed in ho-
 spitibus suscipiendis frugalitas appa-
 reat, nullusque excessus permittatur:
 nec Religiosis cum consanguineis, et
 aliis supervenientibus in dormitorio,
 in cameris privatis, nec extra loca
 a Superioribus designata manducare
 concedatur; sicut nec Monialibus ad
 crates, et in locutorio cum quibus-
 cumque tam secularibus, quam re-
 gularibus. Circa vero lotionem pe-
 dam hospitem, standum consuetudi-
 ni = *Circa Caput. 54. Quod non debeat
 Monachus Literas accipere* = Literæ di-
 rectæ non sine Superioris licentia ape-
 riantur, nec dirigendæ mittantur,
 sitque unicum sigillum in Monaste-
 rio, quod penes Priorem maneat,
 eoque omnes literæ sigillentur = *Cir-
 ca Caput 55. vestimentis, et calcea-
 mentis Fratrum* = Quia humilitas per-
 sonas Religiosas maxime decet, et
 modestia omnium virtutum splendor,
 et ornamentum existit, Abbates omnes
 et Monachi ejusdem Ordinis habitu
 uniformi, modesto, atque decenti
 utantur, qui ejusdem virtutes simul,
 et paupertatem redoleat. Abbates in-
 tra Claustra Monasteriorum suorum
 pileos non ferant, sed Religioso mo-
 re tegantur. Monasteriorum septa num-
 quam sine Capitiis incedant; omnes
 etiam tam Abbates, quam Monachi
 pannis nigri, et albi dumtaxat co-
 loribus simplicibus, honestis tamen,
 et mundis vestiantur, sic ut nihil ap-
 pareat in eis, quod novitates secula-
 rium sapiat, et quod possit offen-
 dere intuentes. Ab indusiis, et col-
 laribus linæis abstineant, solisque la-
 neis tam intra, quam extra Monaste-
 rium utantur, sicut et femoralibus.
 Nullus Abbas, vel Monachus audeat
 barbam, et Capillos nutrire, vel pro-
 minentes in superiori labro pilos
 alere, aut aliter, quam uniformiter,
 et æquali pectine capillos, vel bar-
 bam circumquaque tondere, relicto
 in capite eo circulo, quem Monasti-
 cam coronam vocant, ut Religiosi
 Monasterii Cistercii deferre solent. =
*Circa Caput 57 de Artificibus Monastec-
 rii* = Procurent Superiores, ut juvenes,

quos ad studia non satis propensos
 esse judicabunt, honestam aliquam
 artem ediscant, cujus exercitio otio-
 sitatem, et solitudinis tedium evita-
 re possint. = *Circa Caput 58. de Di-
 sciplina suscipiendorum Fratrum* =
 Circa Novitiatu, et Professoria desi-
 gnanda servabitur quod statuitur in
 Literis SSmi Domini Nostri. Et cir-
 ca receptionem, et educationem ser-
 ventur regula, et Constitutiones Apo-
 stolicae, maxime decreta S. M. Cle-
 mentis VIII; et recipiantur Novitii
 sufficientis literaturæ, hoc est gram-
 maticalibus, et si fieri possit Philo-
 sophicis instructi, post aliqualem in
 habitu seculari probationem in pro-
 priis domibus factam, cum sufficien-
 ti pensione a Visitoribus, aut aliis
 Superioribus pro ratione locorum de-
 terminanda, et a Monasteriis, pro
 quibus suscipiuntur solvenda, vel com-
 pensanda = Recipiantur autem a Visi-
 tatori Provinciae, et a Novitorum Ma-
 gistro, et ab ipsis examinati, et ido-
 nei inventi vestiantur, et probentur,
 atque in hac communi observantia ita
 edoceantur ut excepta sola a carnibus
 abstinentia, ad omnia S. Regulæ ca-
 pita, prout hic sunt denotata, toto
 vitæ decursu teneri intelligant = Se-
 minaria seu professoria simili ratio-
 ne ad pietatis, et religionis excolen-
 dæ opus erigantur, in quibus novi-
 ter professi, cum pensione sufficien-
 ti, aut compensatione maneant, et
 ad perfectionem S. Regulæ, et dicti
 Ordinis Cisterciensis praxim acqui-
 rendam ita erudiantur, ut nullus ex
 illis ad studia, vel ad Ordines, vel
 ad gradus assumantur, qui probatæ
 vitæ, et sufficientiæ testimonia non
 dederit = Quia aliqui dicti Ordinis Mo-
 nachi sub prætextu stabilitatis pro-
 missæ, dum solemnem votorum pro-
 fessionem emiserunt, in aliquo cer-
 to, et determinato Monasterio præ-
 tendunt se etiam pro majori Mona-
 steriorum ipsorum comodo, bono,
 et utilitate Ordinis, aut qualibet alia
 justa, et legitima ratione, si ipsi re-
 nuant in alia Monasteria transferri non
 posse, nisi ob grave aliquod crimen,
 quod in eodem loco facile emenda-
 ri non possit, unde experientia ita
 comprobante, multæ sæpe oriuntur
 dissensiones, inobedientiæ, rebello-
 nes, lites, et incommoda innumera,
 Renovatur constitutio Pii II. de An-
 no 1461. qua facultas datur Visitori-
 bus, et Superioribus Ordinis pro
 tempore existentibus, ut si eis ita

„ expediens videatur, personas ipsas ad
 „ alia ejusdem Ordinis Monasteria tran-
 „ sferant, et alias idoneas in earum lo-
 „ cum usque ad sufficientem numerum
 „ substituant in beneficium Novitiatuum,
 „ et Seminariorum communium, et faci-
 „ liorem præsentis Constitutionis, et
 „ reformationis executionem, ita ut qui
 „ in locis Novitiatuum, et Seminario-
 „ rum communium, et in aliis re-
 „ formandis Monasteriis noluerint in
 „ omnibus præsentis reformationi se se
 „ submittere, cogantur sub pœna car-
 „ ceris se se transferre ad alia Mo-
 „ nasteria per Visitatorem Provincia-
 „ lem eis designanda, ibique com-
 „ morari; quæ Monasteria tenebuntur
 „ illos recipere, et eos tamquam filios,
 „ et professos habere, solo excepto ju-
 „ re electionis Abbatum, sub pœna in-
 „ terdicti, aliisque censuris contra re-
 „ nuentes, et huic ordinationi se se
 „ opposcentes. = *Circa Caput. 61. de*
 „ *Monachis qualiter suscipiantur* = Qui-
 „ libet Visitator, seu Præses Provincia-
 „ rum habeat sigillum Provinciæ ejus
 „ Visitationi commissæ, ne præter ipsum
 „ possit quisquam dare licentiam con-
 „ veniendi Superiores Majores, nec ex-
 „ tra quatuor dietas a Monasterio pro-
 „ ficiscendi: quæ licentia in scriptis
 „ detur, et Provinciæ sigillo muniatur =
 „ = *Circa Caput 64. De ordinando Abbate* =
 „ Nullus in posterum in Abbatem Ge-
 „ neralem Ordinis Cisterciensis, qui
 „ eundem Ordinem non sit expresse
 „ professus eligatur; et electio aliter
 „ facta, sit ipso jure nulla; et sic eligen-
 „ tes pœnam privationis vocis activæ,
 „ et passivæ in perpetuum eo ipso, ab-
 „ sque alia declaratione incurrant; præ-
 „ terea eligendus iis dotibus, et virtu-
 „ tibus sit instructus, quam S. Benedi-
 „ ctus in hoc capite, et secundo hu-
 „ jus Regulæ in Abbate requirit: viten-
 „ tur autem in electionibus ejusmodi
 „ omnes inordinati ambitus, et proces-
 „ sus, et secundum Canones fiant per
 „ scrutinium, in quibus omnes dicti
 „ Ordinis utriusque observantiæ Mona-
 „ chi voce passiva respective gaudeant,
 „ nisi aliunde intercedat impedimen-
 „ tum. = *Circa Caput 67. De Fratribus*
 „ = *in via directis* = Meminerint Superio-
 „ res, et Religiosos suos obligari ad
 „ solitudinem, nec ex illa debere, et
 „ posse exire, nisi propter gravem, et
 „ necessariam causam, idque cum ma-
 „ ximo tremore, ne conceptus devo-
 „ tionis fructus dissipetur. Unde Sanctus
 „ Legislator a solitudinibus exeuntes, ad
 „ orationem propter tantum periculum

„ recurrentum esse jubet: Non ergo
 „ permittantur ire Religiosi ad oppida,
 „ vel pagos viciniore, nisi continge-
 „ ret gravis aliqua necessitas, et sem-
 „ per cum socio a Superiore designa-
 „ to = *Circa Caput 70. Ut non præ-*
 „ *sumat quisquam alium cedere* = Cau-
 „ sæ mere regulares inter personas di-
 „ cti Ordinis emergentes intra Ordinem
 „ terminentur juxta antiquas illas con-
 „ stitutiones, ne liceat alicui extra Or-
 „ dinem appellare sub pœnis in ipsis
 „ contentis = Omnia supradicta respec-
 „ tive ad Moniales pertinere volumus,
 „ præcipiendo Abbati Generali, et qua-
 „ tuor primis, et aliis Patribus Abba-
 „ tibus, ut omnes sibi subditos ad Clan-
 „ suram a Bonifacio VIII. et a Conci-
 „ lio Tridentino ordinatam, utique re-
 „ ducant, et cogant. = Ut autem in po-
 „ sterum una regula, una charitate,
 „ similibusque moribus ubique vivatur,
 „ et omnes utriusque sexus Ordinis per-
 „ sonæ sciant in quo strictior obser-
 „ vantia excepta sola a carnibus absti-
 „ nentia consistat, fiat brevis, et dilu-
 „ cida compilatio, et reductio omnium
 „ Constitutionum Apostolicarum, et Sta-
 „ tutorum, quæ aut per usum contra-
 „ rium, aut per aliquam aliam ratio-
 „ nem non sunt abrogatæ, et per se-
 „ lectos ab Abbate Generali, et quatuor
 „ primis Abbatibus viros, in disciplina
 „ regulari, juribus, et privilegiis dicti
 „ Ordinis exercitatos distribuantur in
 „ certa Capita a Capitulo Generali ap-
 „ probanda, et promulganda, et de-
 „ mum typis mandanda, et in vernu-
 „ culam linguam pro Monialibus ver-
 „ tenda, atque ad calcem Regulæ Bea-
 „ ti Benedicti apponenda, ut in Capi-
 „ tulis singulorum Monasteriorum per
 „ lectionem Regulæ aliqua eorum Ca-
 „ pita successive legantur = Cum vero
 „ in Congregatione Cardinalium, et Præ-
 „ latorum, ut supra instituta, præin-
 „ serti reformationis articuli diligenter
 „ discussi, et examinati, et qua par-
 „ te opus fuit emendati, et aptati fue-
 „ rint; Nos de omnibus plene instru-
 „ cti, et informati comperimus illos
 „ pro felici Monachorum dicti Ordinis
 „ statu, et salubri directione provide
 „ compilatos, ac perstrictos fuisse, et
 „ cum B. Benedicti Regula, quam pri-
 „ mi Cistercienses in primævo institu-
 „ to, Charta charitatis nuncupato, a
 „ multis Romanis Pontificibus Præde-
 „ cessoribus Nostris approbato tenen-
 „ dam, et intelligendam posteris reli-
 „ querunt, in omnibus esse congruen-
 „ tes, præterquam in aliquibus, quæ

„ vel ex rationabili inveterata consue-
 „ tudine abrogata, vel ex legitima Se-
 „ dis Apostolicæ dispensatione, pro tem-
 „ porum varietate lenita, ac tempera-
 „ ta fuere. Quocirca Motu-Proprio, et
 „ ex certa scientia, ac matura delibe-
 „ ratione, Nostris, deque Apostolicæ po-
 „ testatis plenitudine, tenore præsen-
 „ tium, eosdem superscriptos articulos
 „ reformationis in omnibus, et per
 „ omnia approbamus, ac confirmamus,
 „ illisque perpetuæ, et inviolabilis fir-
 „ mitatis robur adjicimus, atque in Uni-
 „ verso Ordine Cisterciensi, tam in Re-
 „ gno Galliæ, quam in aliis Regnis, et
 „ Provinciis ab omnibus tam comunis,
 „ quam strictæ observantiæ Religiosis
 „ firmiter, et inviolate servari præci-
 „ pimus, et mandamus, sub pœnis in
 „ Regula contentis = Cupientes autem
 „ ut nostra hæc reformatio non sit ver-
 „ botenus, sed divino auxilio realis,
 „ et cum effectu, eidem Claudio di-
 „ stricte injungimus, ut primo quoque
 „ tempore convocet Generale Capitulum
 „ apud Monasterium Cistercii, celebra-
 „ dum in Mense Majo sequentis anni
 „ 1667, ad quod vocentur, et conve-
 „ nire teneantur omnes, et singuli Ab-
 „ bates, et Priores Conventuales Mona-
 „ steriorum totius Ordinis præpeditio-
 „ nem Canonicam non habentes, et in
 „ eo Abbas Cistercii, et quatuor prima-
 „ rii Abbates, item Diffinitores decem
 „ ex communi, et totidem ex stricta ob-
 „ servantia; in Capitulo autem seu Diffi-
 „ nitorio, ut præmittitur congregato,
 „ diligens habeatur tractatus de refor-
 „ matione Ordinis, et observantia regu-
 „ laris, deque aptiori modo exequen-
 „ di, et ad praxim deducendi præin-
 „ sertos Reformationis articulos, et quod
 „ deliberatum, ac statutum fuerit, in-
 „ violate observetur = Ordinentur etiam
 „ in eodem Capitulo, seu Diffinitorio
 „ Religiosæ, et circumspectæ personæ,
 „ quæ singula Monasteria cujusque Pro-
 „ vinciciæ, secundum formam eis præ-
 „ fixam visitare studeant, corrigentes,
 „ et reformantes, quæ correctionis, et
 „ reformationis officio viderint indige-
 „ re. = Præterea fiat divisio seu parti-
 „ tio Monasteriorum strictæ observan-
 „ tiæ in Regno Galliæ existentium, in
 „ duas saltem Provincias, et ab ipso
 „ Abbate Cistercii, et quatuor prima-
 „ riis Abbatibus, et decem Diffinitori-
 „ bus ejusdem strictæ observantiæ, per
 „ secreta Scedularum suffragia eligan-
 „ tur ex eadem observantia duo Provin-
 „ ciales Visitatores nuncupandi, usque
 „ ad sequens Generale Capitulum dy-

„ raturi, quorum quilibet jurisdictio-
 „ nem ordinariam habeat in Monaste-
 „ riis Provinciæ suæ. = Item in singu-
 „ lis Provinciis Universi Ordinis etiam
 „ extra Galliam designentur duo Mo-
 „ nasteria Monachorum communis ob-
 „ servantia, unum scilicet pro Novitia-
 „ tu, una cum Magistris pro educan-
 „ dis noviter Professis, et cum fami-
 „ lia selecta, quæ quidem designatio-
 „ nes una cum actis Capituli in scri-
 „ pturam redactæ, atque ab eodem Ab-
 „ bate subscriptæ, et consueto sigillo
 „ obsignatæ transmittantur ad Procura-
 „ torem Ordinis in Urbe Nostra existen-
 „ tem, qui statim illas Nobis exhibeat,
 „ ut recognoscantur, et approbentur =
 „ Interea vero motu, scientia, et po-
 „ testate similibus prohibemus, et in-
 „ terdicimus tam prædicto Abbati Ci-
 „ stercii, et quatuor primariis Abbati-
 „ bus, quam cæteris Abbatibus, et Su-
 „ perioribus Monasteriorum communis ob-
 „ servantia, sive in Gallia, sive in aliis
 „ Regnis, et Provinciis existentium, ne
 „ quemquam ad habitum suæ Religio-
 „ nis recipiant, aut in posterum con-
 „ tra hujusmodi prohibitionem forsân
 „ recipiendos ad professionem admit-
 „ tant, donec antedictæ designationes
 „ pro Novitiatibus, et Professoriis ut su-
 „ pra factæ, et ad Procuratorem Ordinis
 „ transmissæ nobis realiter, et cum
 „ effectu exhibitæ fuerint, atque ut præ-
 „ fertur approbatæ; alioquin sic reci-
 „ pientes, vel admittentes, sententiam
 „ excommunicationis incurrant, a qua non
 „ per alium quam per Nos, et Roma-
 „ num Pontificem pro tempore existen-
 „ tem, nisi in mortis articulo consti-
 „ tuti absolvi possint = Ad hæc de vo-
 „ to ejusdem Congregationis Cardina-
 „ lium, et Prælatorum, qui jussu no-
 „ stro rationes, et motiva, voce, scri-
 „ ptoque proposita tam a Procuratore
 „ Ordinis quam a duobus Abbatibus
 „ strictæ observantiæ pro reformationis
 „ negotio ex Gallia ad Urbem ablega-
 „ tis, iterum ac tertio, accurate, ma-
 „ tureque considerarunt, et discusse-
 „ runt, Nobisque plenam de omnibus
 „ relationem fecerunt, auctoritate Apo-
 „ stolica, præsentium tenore declara-
 „ mus, Literas in forma Brevis datas
 „ diebus 10. Novemb. 1657, et 8. Mar-
 „ tii 1660 nec non 2. Julii 1661, res-
 „ pective, nullo obreptionis, subreptionis,
 „ intentionis Nostræ defectu, vel
 „ alio nullitatis vitio laborasse, nec labo-
 „ rare, ac proinde omnino esse servan-
 „ das, et executioni mandandas, prout
 „ servari, et executioni mandari ju-

» bemus, perpetuum desuper silentium
 » imponentes sub pœnis contentis in
 » primodictis nostris literis editis die 16
 » Januarii 1662 = Cæterum ex hac No-
 » stra declaratione, quoad ea quæ
 » memoratis Literis Nostris, et his præ-
 » sentibus non adversantur, Monasteriis
 » Monachorum Reformatorem in Re-
 » gno Galliæ, eorumque strictæ obser-
 » vantiæ, aliquod præjudicium generare
 » non intendimus, sed illam in sua fir-
 » mitate ac robore volumus permane-
 » re perinde ac si ædem literæ non
 » emanassent. Quin imo Nostræ inten-
 » tionis est, eandem strictam observan-
 » tiam in sua laudabili vivendi ratio-
 » ne confovere, et pro illius conserva-
 » tione, et incremento pastoralis No-
 » stri officii partes gratiose, et favora-
 » biliter impendere, unde Abbatem Ci-
 » stericii, et primarios quatuor Abba-
 » tes serio in Domino monemus, at-
 » que adhortamur, eisque in virtute
 » S. Obedientiæ distrite præcimus, et
 » mandamus, ut ipsam strictam obser-
 » vantiam non modo protegere, ac ze-
 » lo charitatis complecti, verum etiam
 » diffundere, et propagare pro viribus
 » studeant, ut in dies, benedicente Do-
 » mino, in Ecclesia Militante fructus
 » ferat uberiores = Similiter declara-
 » mus validas fuisse, et esse Professio-
 » nes a Monachis strictæ observantiæ
 » in hanc usque diem emissas, nec non
 » absolutionem cum actis huc usque
 » gestis, quæ suum plenarium sortitæ
 » sunt effectum, ita ut prædictarum,
 » ac præsentium nostrarum Literarum
 » vigore nullitatis vitio minime subja-
 » cere censeantur, nec propterea a quo-
 » quam impugnari, infringi, aut in
 » controversiam adduci ullatenus pos-
 » sint; sicque per quoscumque Judices
 » ordinarios, et delegatos, etiam Cau-
 » sarum Palatii Apostolici Auditores,
 » et S. R. E. Cardinales etiam de La-
 » tere Legatos, et Apostolicæ Sedis
 » Nuncios, et alios quoslibet, quacum-
 » que præ eminentia, et potestate
 » fungentes, et functuros, sublata eis,
 » et eorum cuilibet quavis aliter judi-
 » candi, et interpretandi facultate, et
 » auctoritate judicari, ac definiri debe-
 » re, ac irritum, et inane si quid se-
 » cum super his a quoquam quavis au-
 » ctoritate scienter, vel ignoranter contige-
 » rit attentari decernimus: non obstanti-
 » bus præmissis etc. Quibus omnibus, et
 » singulis etc. Volumus autem etc. Datum
 » Romæ apud S. Mariam Majorem sub An-
 » nulo Piscatoris die XIX. Apr. MDCLXVI
 » Pontificatus Nostri Anno XII.

§. 3. Sane hujusmodi Reformatio-
 nis præscripta, quemadmodum Aposto-
 licæ eæ literæ præcipiebant, in coactis
 paulo post totius Ordinis Generalibus Co-
 mitiis, anni videlicet 1667 debita cum
 reverentia, et obsequio recepta sunt,
 et in aliis, quæ subinde celebrata fue-
 runt, pro basi, et fundamento Monastici il-
 lius ædificii sunt habita: inter alia ve-
 ro dicti Ordinis Monasteria, quæ Ale-
 xandri VII. Reformationem libenter am-
 plexa fuere, unum præcipue fuit Sale-
 mitanum: cujus tamen Cœnobitæ cum
 ob humanæ indolis infirmitatem non-
 nullis ab hinc annis a rigidiori hac nor-
 ma paulisper declinarent, Apostolica Sa-
 Me. Benedicti XIV. ultimi Decessoris
 Nostri sollicitudine, et Generalis quo-
 que Abbatis suffragio, Alexandrinæ Con-
 stitutionis observantia in d. Monaste-
 rium fuit rursus invecata: etenim pe-
 tente Anselmo Abbate, et Cœnobium
 Salemitanum, et reliqua eidem adne-
 xa sub Apostolicæ Sedis patrocinio ite-
 rum susciperentur, per literas in for-
 ma Brevis sub die 15 Julii anno 1752
 incipien: *Persuasum Tibi etc.* eidem
 Pontifex Max. rescripsit, se neutiquam
 ambigere Monasterium istud noviter in
 Clientelam suam recipere, ea tamen
 conditione, ut Cœnobitica disciplina a
 Religiosis omnibus adamussim custodi-
 retur secundum Ordinis Statuta, et Apo-
 stolicas Constitutiones, præsertim Ale-
 xandrinam, demum vero ipsius Bene-
 dicti de Clausura Monasteriorum die 3
 Januarii anni 1742.

§. 4. Quamobrem idem Dilectus Fi-
 lius Anselmus Abbas, qui eo videtur
 impensius Ordinem suum diligere, quo
 magis ardet cupiditate Monasticæ di-
 sciplinæ ad Tridentini Concilii normam
 Sess. 25 Cap. 1 componendæ, ut spe-
 cialem hanc Apostolicæ Sedis gratiam,
 atque benevolentiam sibi, suoque Re-
 ligioso cœtui mereretur, suffultus ex
 una Benedicti XIV. suasionibus, atque
 hortamentis, ex altera vero efficacissi-
 mis literis, ac monitis Venerabilis Fra-
 tris Octavii Archiepiscopi Chalcedonen-
 sis, tunc apud Helvetios Sedis Aposto-
 licæ Nuntii, modo autem Palatii No-
 stri Præfecti omni studio, atque cona-
 tu veteri disciplinæ redintegrandæ na-
 viter incubuit, et honorum omnium
 largitore Deo, hisce irrigationibus in-
 crementum dante feliciter assequutus
 est, ut Alexandrina Constitutio ibidem
 in præsens vigeat, communis vita, quæ
 Monasticæ disciplinæ fundamentum est,
 pulchrius efflorescat, non ter amplius,
 sed quater in hebdomada abstinence

Reformationes
 ab Alexandro
 VII. approba-
 ta Generalia
 Ordinis conti-
 nua reverenter
 receptunt.

Laxata disci-
 plina in Mona-
 stero Salemi-
 tano Alexan-
 drinæ Consti-
 tutionis obser-
 vantiam iussit
 Benedictus
 XIV.

Ex quo factum
 fuit ut ad anti-
 quam obser-
 vantiam Mona-
 chi Salemitani
 tandem fuerint
 revocati.

ab esu carniū; ad Nocturnas Vigiliās in Solemnibus diebus secunda post mediam noctem hora, reliquis diebus tertio surgatur, abjectis lineis, lanæ deferantur lteralæ, et Clausuræ lex sanctissime custodiatur, quæ omnia pariter ut a Supremo totius Cisterciensis Ordinis Antistite in ultima Salemitani Cœnobii Visitatione per Ablegatum suum confirmarentur, effecit.

§. 5. Quamobrem restituta, in hunc modum rigidiori observantia, idem Anselmus, una cum reliquis Cœnobitis, admissas Nobis obtulit preces, quasi jure postulant, ut post impletam hanc a Prædecessore Nostro conditionem sibi præscriptam conceptis verbis, Monasterium suum in specialem tutelam, gratiamque Sedis Apostolicæ modo suscepto obnunciaremus; timensque ne futuris temporibus, vel propter rerum humanarum vicissitudinem, vel propter dissonantiam quamdam cum nonnullis Cisterciensibus Cœnobitiis, in quibus Alexandrina reformatio variis de causis perfecte non observatur, detrimentum aliquod patiat, inducta suum in Cœnobium rigidior Disciplina, sive ex aliqua dispensatione, et indulgentia Visitorum, qui ex iis Monasteriis interdum assumuntur, sive alia quacunque de causa refrigescat, atque labefactetur, a Nobis identidem postulavit ut præfatis literis Apostolicis Alexandri VII. quo firmiores adhuc radices agerent, et in omnibus atque ab omnibus in suo Monasterio accuratissime servarentur, Apostolicæ Nostræ confirmationis calculum adjungeremus.

§. 6. Nos igitur pietatem, religiosamque curam dicti Anselmi Abbatis merito commendantes, atque futurum in Domino sperantes, ut Salemitani Monasterii Alumni in ea vocatione, in qua vocati sunt, fideliter perseverent, sui que Ordinis Regulam, et Apostolicas sanctiones, tamquam viam per quam ad Christianæ perfectionis apicem progredi elegerunt, alacrius insistant de virtute in virtutem in dies proficientes, ut sint et invicem, et aliis Ordinis ejusdem Cœnobitis sicut odor agri pleni in conspectu Domini, dictum Anselmum, ac reliquos Cœnobitas amplioribus gratiis, prosequi cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotata existunt, ad effectum præsentium tan-

tum consequendum, harum serie absolutas, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorundem inclinati, primum quidem laudatum Monasterium S. Mariæ de Salemi in specialem Nostram, et Apostolicæ Sedis gratiam, et protectionem perlubenter accipimus, atque admittimus, deinde sæpedictas literas Alexandri VII. Decessoris Nostri, et quæcumque in eis continentur, quemadmodum etiam constitutionem Benedicti XIV. super Clausura Monasteriorum quorumcumque superius memoratam, Apostolica autoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, eisdem inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque ab omnibus, et singulis dicti Monasterii Salemitani Cœnobitis inviolate, sancteque, sub pœnis in regula expressis, observari præcipimus.

§. 7. Inhibentes præterea, et in virtute S. Obedientiæ districte mandantes tam modernis, et pro tempore futuris ejusdem Monasterii Abbatibus, et Monachis, etiam ex eo, quod forsitan ante professionem suam nominatim de ipsis literis sibi non constare, aut non constitisse prætenderent, quam cæteris d. Ordinis Abbatibus, laudatum Monasterium de more visitantibus, quamvis etiam ipse accederet totius Ordinis Generalis Abbas, nec non Capitulo Generali seu Nationali, quinimo Nostris quoque, et Apostolicæ Sedis Nunciis, seu Cardinalibus de latere Legatis, ne audeant ullo pacto, et titulo dictarum literarum, et reformationis exequutionem, sive in toto, sive in parte in Monasterio prædicto impedire, relaxare, imminuere, vel aliud quidpiam, inconsulta Sede Apostolica, immutare, et quidquid contra præmissa a quovis attentari, aut prætendi contigerit irritum et inane, nulliusque roboris, ac momenti esse, ac fore declaramus.

§. 8. Decernentes præsentem literas perpetuo, ac futuris temporibus semper firmas, validas, et efficaciæ existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, atque ab illis ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari debere sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Apostolicos Nuncios, et S.R.E. Cardinales, et eorundem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros judicari, et deli-

Ut vero in hac Religiosa observantia Monasterium persisteret, Apostolicæ Sedis auctoritas imploratur pro nova Alexandrina Constitutionis confirmatione.

Confirmetur Constitutio Alexandri VII. itemque altera Benedicti XIV. super clausura Monasteriorum.

Præsentium Literarum præcisa demandatur observantia.

Clausula subdita, et decretum irritans.

niri debere, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictique Monasterii, et Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quæmodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 13. Augusti 1760 Ann. tertio.

CLX.

Pontificum Romanorum præcipuam fuisse curam, ut Ecclesiastica immunitas, et Episcoporum jura sacra, tecta serventur, Clerique disciplina ad Sacrorum Canonum præscriptum revocetur, significat Gnesnensi Archiepiscopo, cunctisque in Polonia Antistibus.

Constit. Benedicti XIV. tertio Kal. Aprilis 1742. circa appellaciones, et inhibitiones concedendas vel denegandas in Causis Ecclesiasticis, de qua in præsentibus Literis sermo est, adest impressa in prælaudati Pontificis Bullario sub Num. 48, ubi referuntur præcedentium Pontificum Constitutiones, Conciliorum resolutiones, et Sacrarum Congregationum decreta, eandem rem respicientia.

Venerabili Fratri Vladislao Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater Salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. **V**eluti persuasum Nobis est, Dilectum Filium Stefaninum, qui Apostolici Nuncii Venerabilis Fratris Archiepiscopi Mitilenensis antea fuit Auditor, commendationes Vestras nunquam exquisivisse, ut eo in officio etiam præsens detineretur; ita Vobis pariter persuasum esse cupimus officia Vestra nequaquam illi nocumento futura, quin potius velle Nos opportunitatem dari, qua

intelligere possit, quod Vestram iniisse gratiam Nobis quidem gratum accidit, sibi vero utile aliquando futurum.

§. 2. In reliquis autem nihil magis cordi habemus, quam ut Ecclesiæ Immunitas, et Episcoporum jura sacra, ac tecta serventur et si quæ vitia, pravique mores in Cleri Disciplinam irrepserunt ad Sacrorum Canonum præscriptum rite corrigantur, ac sedulo emendantur; quocirca de appellationibus, quas facile nimium recipi, admittique doletis in iis, quæ pertinent ad morum correctionem, nihil aliud rescribere possumus, nisi, rem hanc omnem accuratissime discussam, definitamque fuisse a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostri, potissimum vero a Fel. Rec. ultimo Benedicto XIV. qui capita omnia provocationum, atque appellationum ab Episcoporum judicio admittendarum, sive recipiendarum sapientissime collegit in Constitutione quæ incipit *ad Militantis Ecclesiæ* data 3 Kal. Aprilis 1742 quæ si religiose custodiatur, atque servetur, ut ipsi quoque enixe optamus, ac volumus, nulla erit in posterum conquerendi occasio, neque Judices, quicumque ii fuerint ad quos provocatur, præstitutos sibi terminos sive in re, sive in modo transgredientur.

§. 3. In hunc igitur sensum, ut Fr. Tuæ aliorumque Episcoporum votis annueremus, Apostolico Nuncio literas dari mandavimus, quibus nihil Nos expetere magis perspiciatis, quam Sacrorum Canonum, et Apostolicarum sanctionum implementum, unde, et Episcopalis Ordinis dignitas, et Ecclesiasticæ disciplinæ redintegratio maxime pendent. Interea vero Tibi Ven. Frater, aliisque Poloniæ Coepiscopis, quos peramanter complectimur omnes, Apostolicam Benedictionem toto corde largimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCLX. Pontificatus Nostri anno Tertio.

Dat. die 18
Aug. 1760 Ann.
Tertio.

CLXI.

Approbatio, et confirmatio sanctionum quarumdam pro studiis Linguarum Orientalium Cappuccinorum Conventus S. Honorati Parisiorum.

Magistros Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, et Arabicæ in Studiis Generalibus haberi jussit Clemens V. ut est in Clementin. 1. de Magistr. Earumdem Linguarum Magistros habendos esse a Regularibus in suis Studiis jussit Paulus V. Constit. edit. Ann. 1610. Jul. 31 quæ est in Bullario Mai-nardi.

Clemens, PP. XIII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

§. 1. Cum Scriptura, omnis divinitus inspirata, teste Apostolo = (1) uti-
lis sit ad docendum, ad arguendum,
ad corripiendum, ad erudiendum in
justitia, ut perfectus sit homo Dei,
et ad omne opus bonum instructus =
duo in primis necessaria sunt, Divini
luminis illustratio, quæ Fidei mentibus
in Ecclesia Dei sensum veritatis aperiat,
deinde assidua cura, ac diligentia in
sacris paginis evolvendis, perscrutandisque,
ut quemadmodum scribit D. Gregorius
Magnus Prædecessor Noster (2) = discamus
cor Dei in verbis Dei, et ad cælestia
gaudia ardentius suspiremus = Cum autem
pleraque ardua sint, ac intellectu difficilia,
in iisdem explicandis, interpretandisque,
plurimum conducere indubium est trium
præsertim linguarum peritiam Hæbraicæ,
nempe, Græcæ, et Latinæ, unde inquit
S. Augustinus (3) = Magnum remedium
est linguarum cognitio: Latinæ quidem
linguæ homines quos instruendos suscipimus,
duabus aliis ad Scripturarum Divinarum
cognitionem opus habent, Hæbraea scilicet,
et Græca, ut ad exemplaria præcedentia
curratur. =

§. 2. Hanc ob causam Romani Pontifices
Prædecessores Nostri, firmissimum Catholicæ
veritatis præsidium, in sacrorum librorum
usu, unde incorrupta fidei, morumque
doctrina dimanat, Divinitus positum
recensentes, eo præcipuam suam curam,
et providentiam con-

tulerunt, ut linguarum ejusmodi Studium
excoleretur: e quibus Clemens V. in
Viennensi Concilio sapientissime constituit,
ut non solum apud Romanam Sedem,
sed et in insignioribus tunc temporis
Accademiis, scholæ erigerentur ad
ejusmodi idiomatum notitiam adipiscendam:
itidem Sacrosanta Tridentina Synodus
(1) = ne Cælestis iste Sacrorum librorum
thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa
liberalitate hominibus tradidit per incuriam
Sæcularis, et Regularis Cleri neglectus
jaceret, ad veteris, ac novi Testamenti
expositionem potissimum, præbendam
Theologicam in Cathedralibus, aliisque
insignioribus Collegiatis institui mandavit,
in Cœnobiis vero Sacræ Scripturæ lectiones
haberi præcepit. Ad hæc Summus Pontifex
Paulus V. pariter Decessor Noster in sua
Constitutione, quæ incipit Apostolicæ
Servitutis die 31 Julii. 1610. strictius
quoque Prælati Regularium tam mendicantium,
quam non mendicantium indixit, ut iis
in Cœnobiis, ubi studia vigent, Magistri,
atque Doctores ejusmodi linguarum
honeste sustentarentur.

§. 3. Extat etiam Congregationis
Cardinalium Fidei Propagandæ præpositorum
decretum diei xi. Aprilis Anno MDCXXV.
evulgatum, quo exequutio Bullæ Pauli V.
demandatur, ut apud religiosos præsertim viros
Sanctissimæ Religionis Nostræ propagatores,
Hæbraicæ, Græcæ, ac Latinæ linguæ
cultus promoveatur: neque desunt exempla
Illustrium Episcoporum, qui suis in
Seminariis, Clericos hæc Orientalium
linguarum disciplina instruendos enixe
curarunt, e quibus illud commemorare
lubet clarissimi in Patavina Sede Antecessoris
Nostri Venerabilis Gregorii Barbadii,
quem semper uti Antesignanum, Magistrum,
Ducemque Nostrum in ea regenda
suscepimus, cujus nominis inter Cælites
referendi causa modo feliciter agitur:
Is enim Apostolicarum ejusmodi
Sanctionum egregie conscius, et pietatis,
et Doctrinæ amplificandæ cupidissimus
non tam Scholam aperuit ad Hæbraici,
Græcique idiomatis eruditionem in
Patavino Seminario, comparandam,
verum etiam utriusque linguæ formas
in Typographiam invexit, ut firmiores
studia hæc inibi radices agerent,
indeque in alias quoque Christiani
Orbis plagas diffunderentur.

tionem conferunt.

Constantis hujus studii Romanorum Pontificum observantiam demerendat. S. Congregationis de Propaganda decreta.

Itemque plures illustres Episcopi Orientalium Linguarum disciplinas in Seminariis instituentes.

(1) 2 ad Timothei, Cap. 3, vers. 16.
(2) Lib. 4 Epist. ad Iudicet. Epist. 40.
(3) De Doctrina Christiana.

(1) Sess. 5 Cap. 3 de Ref.

Romanorum Pontificum sollicitudo ut lingue Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, et Arabicæ excolerentur, quæ ad Sacrorum Scripturarum intelligentiam.

Apostolicam gratiam pro horum studiorum cultu Pontifex exprimit.

§. 4. Quibus ex causis cum Summorum Pontificum Decessorum Nostorum in Romana Cathedra, tum vero etiam illius Ven. Antistitis in Patavina, vestigiis inherentes, ipsi quoque muneris Nostri esse intelligimus, Pontificiam omnem auctoritatem, ac gratiam Nostram iis conferre, qui in sanctionum ejusmodi implementum ad Divini Nominis gloriam, et Catholicæ fidei, atque pietatis incrementum, in Sacris eloquiis ad verum, germanumque Ecclesiæ sensum explanandis, interpretandisque naviter, ac laboriose desudant.

In Parisiensi Cappuccinorum Conventu S. Honorati Societas Religiosorum aderat Orientalium Scientiarum Studio dicata, qui leges condidit pro felici ipsius Societatis progressu.

§. 5. Sane expositum Nobis fuit a nonnullis Dilectis Filiis Cappuccinis Conventus Parisiensis S. Honorati, Linguarum hujusmodi Orientalium studio sese dicavisse, tantumque, benedicente Domino progressum fecisse, ut permagnos jam eorum laboris, atque industriæ fructus ex pluribus voluminibus in lucem editis appareat, quod quidem eo magis commendari meretur, propterea quod, nemo ignorat austerissimum vitæ genus, quod ejus Institutionis alumni profitentur. Cum autem valde periculosum sit, pulcherrimam istam studiosorum hominum societatem, ut humana sunt omnia, dissolvi, nisi quibusdam legibus, quasi vinculis ejus compages contineatur, hinc pro parte eorundem Dilectorum Filiorum Cappuccinorum, qui dictam Societatem constituunt nobis humillime supplicatum fuit, ut Apostolica auctoritate approbaremus leges quasdam ad ejus Societatis regimen, atque stabilitatem fulciendam maxime opportunas, atque una simul facultates aliquas inibi expressas, de Apostolicæ indulgentiæ benignitate iisdem impertiremur. Leges autem sunt quæ sequuntur.

Tenor legum conditarum pro felici progressu Societatis studiorum Orientalium.

» I. Numerus Religiosorum, qui linguarum Orientalium studio, destinabuntur, major, quam sex, aut minor quam quatuor esse non poterit.

» II. Candidati in hac schola admittendi ab his, qui actu sacris literis incumbunt, Superioribus in Definitione Provinciali congregatis proponentur, ut ab iisdem in Societatem cooptentur, vel ab ea repellantur, nec ad illud opus, invita Societate poterunt applicari.

» III. Ad illud opus destinatos et semel a Definitione admissos non poterunt Superiores ad nutum suum, et sine graviore causa, reluctante Societate, submovere, sed casus si incidere, ut Superiores in Definitione congregati aliquem Societatis expelli

» voluerit, et Societas contra expulsionem Socii sui reluctetur, tunc ad Diffinitorium Generale fiet recursus, totumque ejus judicio erit remittendum. Nullum pariter cum hoc studio insociabile munus Guardianatum *verbi gratia*, aut Lecturam Candidalis potuerunt impertiri, et si, invita Societate, aliquid hujus generis officium acceperit Candidatus, e numero Studentium delebitur.

» IV. Si Societas e sinu suo Candidatum gravioribus de causis expellere desideraverit tunc (fraternis antea præmissis admonitionibus) Provinciali, et Diffinitoribus collegialiter unitis quærelas proferet, expulsionisque petitiæ causas, et rationes aperiet: quod si major pars Diffinitorii Provincialis non consentit cum Societate, omnes ad Supremum Religionis Tribunal, scilicet ad Diffinitorium Generale recurrant, et interim Socius usque ad Sententiam definitivam ejusdem Tribunalis, inter Academicos reputabitur.

» V. Graves autem causæ sunt præsertim, ignavia crassa, pravi mores, et alius quilibet principalis cordis, et animi defectus, qui paci, concordie simul, et Societatis laboribus nocere possit.

» VI. In Regularitatibus, et in omnibus aliis Religiosi illi, sicut et cæteri, Superioribus omnino subjecti erunt.

» VII. Cum sumptus necessarij sint, ut opera typis mandentur, unus e Sociis ab ipsis eligetur, qui sub licentia Sanctitatis Suxæ negociis illis temporalibus vacet, libros emat per Syndicum, qui pecunias recipere, apud se depositas servare, et æs alienum Societatis curet solvere. Cæterum Societas habeat communitatem vitæ et victus; ast cum dignus sit operarius mercede sua, et multa assidue laborantibus necessaria sint, saltem de necessitate convenientiæ, quæ a Conventu suppeditari non solent, Socius pro negotiis temporalibus gerendis electus, ea sibi, Sociisque cum licentia Superioris localis, aut Patris Provincialis ex proventu editionis librorum (si quis sit) procurare poterit, et si post necessaria Societati suppeditata, et omnes impensas editionis solutas, forte remanserit aliquid residuum, illud ad nutum Societatis, hoc, vel illud indicantis, sub licentia Sanctitatis Suxæ, vel ad Sacristiam, vel ad Bibliothecam, vel ad Conventum applicabitur.

» VIII. Socio, hoc officium pe-
 » ragenti, non licitum erit se librorum
 » extraneorum commercio immiscere,
 » sed de solis Societatis libris, et de
 » permutationibus ex ipsa provenienti-
 » bus tantummodo pertractare poterit.

» IX. Socius ille rationes singu-
 » lis duobus annis Societati congrega-
 » tæ reddere tenebitur, et si contra
 » ipsius administrationem Societas una-
 » nimiter reclamaverit, alius e Sociis
 » eligetur, qui huic officio incumbat:
 » Societas vero, eandem ipsam admi-
 » nistrationis rationem Provinciali red-
 » dere teneatur.

» X. Societati licitum erit unam
 » Bibliothecæ communis clavem penes
 » se habere, ut ex ipsa libros operi-
 » bus suis necessarios extrahere, et in
 » ipsa post usum reponere possit, quæ
 » quidem clavis in manibus Decani
 » Societatis servabitur; sed nec ipsi,
 » nec ulli de Sociis ejusdem Bibliothecæ
 » curæ se immiscere, et de li-
 » bris ad ipsam pertinentibus ullo mo-
 » do disponere, vel pertractare fas erit;
 » quilibet autem Socius, quoties a Biblio-
 » theca libros extrahat, toties et nomen
 » suum, et nomen librorum ex ipsa ex-
 » tractorum (ut mos est) in scriptis dabit.

» §. 6. Nos igitur postquam easdem
 » mature perpendimus, et studiosæ ejus-
 » modi Societatis incolumitati, firmitati-
 » que consentaneas esse censuimus, au-
 » dito insuper suffragio dicti Filii Amati
 » Lambalensis Procuratoris Generalis Or-
 » dinis Cappuccinorum, qui leges præ-
 » fatas pariter ad trutinam expendit, atque
 » approbavit, ut antedictæ Societatis Cap-
 » puccinorum in Conventu Parisiensi San-
 » cti Honorati studio linguarum Orienta-
 » lium deditorum dissolutioni cuilibet,
 » confusione, ac perturbationi opportuna
 » ratione occurramus, et eosdem dilectos
 » Filios Cappuccinos dicti Conventus spe-
 » cialibus favoribus et gratiis prosequi vo-
 » lentes, eorumque singulares persona-
 » a quibusvis excommunicationis, suspen-
 » sionis, et interdicti, aliisque Ecclesia-
 » sticis sententiis, censuris, et pœnis a
 » jure, vel ab homine, quavis occasio-
 » ne, vel causa latis, si quibus quomo-
 » dolibet innodatæ existunt, ad effectum
 » præsentium tantum consequendum, ha-
 » rum serie absolventes, et absolutos fo-
 » re censeantes, dictorum Cappuccinorum
 » supplicationibus inclinati, leges præfa-
 » tas, et in eis contenta, quæcumque
 » Apostolica auctoritate, tenore præsen-
 » tium perpetuo approbamus, et confir-
 » mamus, et inviolabilis Apostolicæ fir-
 » mitatis robor vim, et efficaciam adji-

» cimus, nec non statuimus atque man-
 » damus, ut in eodem Conventu Divi
 » Honorati omnino consequentibus tem-
 » poribus observentur.

» §. 7. Decernentes præsentas literas
 » semper firmas, validas, et efficaces exi-
 » stere, et fore, suum plenarium, et in-
 » tegrum effectum sortiri, et obtinere,
 » atque ab illis, ad quos spectat, et pro
 » tempore quandocumque spectabit invio-
 » labiliter observari debere, sicque, et
 » non aliter in præmissis per quoscum-
 » que Judices Ordinarios, et Delegatos
 » etiam Causarum Palatii Apostolici Au-
 » ditores, Apostolicos Nuncios, et S. R. E.
 » Cardinales, et eorumdem Cardinalium
 » Congregationes, et quosvis alios, qua-
 » cumque præeminentia et potestate fun-
 » gentes, et functuros judicari, et defi-
 » niri debere, ac irritum, et inane quid-
 » quid secus super his a quoquam, qua-
 » vis auctoritate, scienter, vel ignoranter
 » contigerit attentari.

» §. 8. Non obstantibus Constitutioni-
 » bus, et Ordinationibus Apostolicis, et
 » Ordinis Cappuccinorum, etiam in jura-
 » mento, confirmatione Apostolica, vel qua-
 » vis firmitate alia roboratis, statutis, et
 » consuetudinibus, privilegiis quoque,
 » Indultis, et Literis Apostolicis in con-
 » trarium præmissorum quomodolibet con-
 » censis, confirmatis, et innovatis, cæ-
 » teterisque contrariis, quibuscumque. Da-
 » tum Romæ apud S. Mariam Majorem
 » sub annulo Piscatoris die xviii. Augu-
 » sti MDGCLX. Pontificatus Nostri Anno.
 » Tertio.

Clausula su-
 blata, et decre-
 tum irritans.

Derogat con-
 trariis.

Leges supra
 relatas, audito
 suffragio Pro-
 curatoris Gene-
 ralis Ordinis
 Pontificia au-
 thoritate con-
 firmat, et ap-
 probat.

Dat. die 18
Aug. 1760 Ann.
Tertio.

CLXII.

Indulgentiæ pro Fidelibus visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Prædicatorum aliqua ex septem feriis sextis præcedentibus Festum S. Vincentii Ferrerii.

Terdecim sextis feriis a S. Francisco de Paula, institutis, Pia exercitia ab eodem S. Francisco proposita facientibus, indulgentiam plenariam concessit Clemens XII. Const. Ann. 1758 Sept. 24 quæ adest in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.

Universis Christifidelibus præsentibus literas inspecturis salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum, sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Prædicatorum, pia erga Sanctum Vincentium Ferrerium, præsertim in septem feriis sextis, ejusdem Sancti Festum immediate præcedentibus, devotio introducta fuerit, prout de præsentibus etiam viget: Nos ad eam confovendam, et ad augendam Fidelium Religionem, et animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in una ex prædictis feriis sextis, per eos ad sui libitum eligenda, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis sextis hujusmodi, eisdem Christifidelibus etiam vere pœnitentibus et confessis, ac Sacra Communionem refectis, aliquam ex prædictis Ecclesiis, ut supra, visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria prædictarum id egerint, septem annos, et totidem Quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipietur, præsentibus nullæ

sa omnia cunctis ejusdem Tertii Ordinis Professoribus, nunc et pro tempore existentibus, plenissime innotescant, et illorum integra observantia absque exceptione aliqua exigi possit, nec unquam futuris temporibus in oblivionem abeant, neque ulla per quempiam excusatio allegari valeat, etiam decernimus et statuimus, omnia et singula præmissa, ipsasque præsentis Literas inter cæteras dicti Tertii Ordinis Constitutiones, etiam fundamentales, annumerari, illisque addi debere, ac in virtute quoque sanctæ obedientiæ etiam præcipimus, et mandamus, ut omnes, et singuli ejusdem Tertii Ordinis Superiores, etiam locales, cujusvis Conventus, ac Domus Regularis, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, et passivæ ipso facto incurrendæ curare et efficere teneantur, quod præsentium literarum tenor, de verbo ad verbum, perpetuis futuris temporibus, annis singulis, intelligibili voce, in publica mensa, ac etiam ante singulos Electionum actus, in Capitulis et Congregationibus tuæ congregatis perlegatur.

Hujus Constitutionis perpetua, et rigida observantia præscribitur.

§. 8. Præsentis vero literas, omniaque, et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati et auditi, ac causæ, propter quas eadem præsentis emanarint, adductæ, verificatæ, seu justificatæ non fuerint; ullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis, etiam quantumvis substantiali defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcumque, juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque per quoscumque Judices Ordinariorum et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cui-

libet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiti debere: et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§. 10. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Tertii Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus: privilegiis quoque indultis et Literis Apostolicis, in favorem dicti Tertii Ordinis, illiusque Superiorum et Personarum, etiam per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et decretis, in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque: seu si quibusvis communitè, aut divisim a præfata sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Volumus autem, ut eadem præsentis Literæ amplius innotescant, quod earum Transumptis etiam impressis, manu Ministri, seu Procuratoris Generalis dicti Tertii Ordinis, et Sigillo alterutrius eorum munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quæ iisdem præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ confirmationis, innovationis, prohibitionis, extensionis, statuti, præcepti, mandati, decreti, vel voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe-

Sanctiones penales.

tri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Sexagesimo, Septimo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXVII.

Dat. die 8. Nov.
1760 Ann. tertio.

Confirmatur electio Magnæ Dei Genitricis sub Immaculatæ suæ Conceptionis Mystério in principalem, Universalem Patronam Ditionum omnium Hispaniarum, tum Indiarum subjectarum Serenissimo Regi Catholico: idemque proinde Mystérium in Ditionibus ipsis ab utroque Clero universo in die Festo, ac per octavam, et infra annum, cum prærogativis omnibus, quæ Patronis hujusmodi per Ecclesiæ leges competunt colendum præcipitur; plenaria quoque indulgentia in eodem Die festo concessa.

Ne in publicis prædicationibus de Conceptione B. M. Virginis disputetur vetavit Pius V. Const. Anni 1570. Nov. 30. Constitutiones a Sixto IV. et Pio V. editas de Conceptione B. M. Virginis confirmavit Paulus V. constit. altera Anni 1616. Julii 6. Quominus in actibus publicis; Beatissimam Virginem in peccato Originali fuisse conceptam asseratur, prohibuit Pontifex idem Decreto Anni 1617. Augusti 31. Prohibitionem asserendi B. Marianam Virginem conceptam fuisse in peccato Originali ampliavit, et declaravit Gregorius XIV. Decreto Anni 1622. Maii 24. Immaculatam Dei Genitricem tanquam Patronam Regni Siciliæ ultra Pharam approbatam fuisse a Clemente XII. habemus ex hujus const. Anni 1739. Martii 18. quæ omnes sunt in Bullario Mainardii.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Ornamentum,
et præsidium
accedit Regis
ex Beata Vir-
ginis venera-
tione, et pa-
trocinio.

§. 1. Quantum ornamenti ac præsidii semper Regnis accesserit ex insigni pietate erga Deum, ac Beatissimæ Virginis Mariæ veneratione, ex quibus

Cælestes omnes benedictiones promanant, optime intelligentes, ideoque præcipuo Officii Nostri muneri satisfacturi quod Christiani Orbis spirituali, ac temporali bono prospicere debemus, Gentibus illis paterna charitate obsecundare non renuimus, quæ inclytæ Cælorum Regina, auxilium, opemque implorant, cujus cultus, ut in dies magis, magisque ardeat, par æquumque est, Apostolica auctoritate providere. Proinde libentissime pia complenda censemus vota Populorum, qui eandem B. Virginem sub speciali titulo in Hispaniarum Regnis venerari exoptant, idque potissimum expetente pio, religioso, ac de Romana Ecclesia optime merito Rege Catholico, qui amplissimas suas Ditiones, tum florentissimas undequaque reddere, tum maximo, supremo, ac Cælesti patrocínio roborare quotidie summo studio contendit.

§. 2. Nuper siquidem Nobis, Regio nomine charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, dilectus filius Emmanuel de Roda dicti Caroli Regis Consiliarius, et modo apud Nos Negociorum ejusdem Catholici Regis Minister, supplicem porrexit libellum, tenoris sequentis, videlicet =

Præces porrectæ a Catholico Hispaniarum Rege ut Beata Virgo sub Immaculatæ Conceptionis Mystério Patrona assignetur Hispaniis Regibus.

Beatissime Pater = Universi Hispaniarum Reguorum Delegati, totam Hispaniam Ditionem repræsentantes, in Comitibus habitis 16. Kal. Augusti hujus Anni, Serenissimo Regi Catholico retulerunt de perpetua, atque insita omnibus qui Hispano nomine censentur, pietate, ac religione, erga SS. Dei Genitricem Angelorum Reginam, Virginem Mariam, præsertim in ejus immaculatæ Conceptionis Mystério, illudque sanctissime servari in quovis sive Militari Ordine, sive studiorum Universitate, seu Civitatum Senatu, Collegio, Sodalitio, aut quocumque alio legitimo corpore (vix autem est quisquam ex Regi Catholico subjectis qui in aliquem hujusmodi cætum non sit adscriptus) ut quisquis, in cætum, aut Ordinem hujusmodi cooptatus, primum se sacramento, ex formula correpto, obstringere debent de tenendo, ac studiose, et pro viribus defendendo Immaculatæ Conceptionis Mystério, cui Sacramento se Rex ipse Catholicus ac Universi Hispaniarum Regnorum Delegati similiter obstrinxerunt in Conventu habito anno 1621. Festumque cum octava, juxta Ecclesiæ Romanæ ritum, impensa publica, quotannis celebrandum perpetuo decreverunt; quod ad hanc

usque diem religiosissime observatur, ita ut effuso huic Hispanorum cultui erga Deiparam Virginem, ejusque Purissimam, et Immaculatam Conceptionem, merito tribuantur, et felicitas publica, qua Hispaniarum Regna fruuntur, et Fidei, atque Religionis puritas, quæ in iisdem viget quamplurima denique beneficia, quibus a Divina Providentia donantur in dies. Quoniam autem mirum est Regnorum consensus cum ipso Rege Catholico, emulante illustrium Prædecessorum exempla in hoc pio studio colendi Immaculatæ Conceptionis Mysterium, propterea ab eadem sacra Majestate Catholica supplices petierunt, ut in specialem Regnorum omnium, ac ditionum Hispaniæ, et Indiarum Patronam, et Advocatam excelsam, hanc Cæli. Terræque Dominam, in Sacro ejus Immaculatæ Conceptionis Mysterio assumere, atque admitti velit, cum eo cultu, et precum recitatione, quæ Sanctorum Patronatui conveniunt, juxta Ecclesiæ Romanæ ritum, sine tamen præjudicio, aut detrimento cultus S. Jacobi Apostolo, primævo Hispaniarum Patrono, præstandi, cum ei nolint, nec valeat honoris quidquam detrahi, aut imminui ob novum hoc obsequium Apostolorum, Angelorum, totiusque aulæ Cælestis Reginæ. deferendum. Cum autem Rex Catholicus libentissimo animo enixas Delegatorum, adeoque totius Hispaniæ Regnorum præcēs exceperit; Emanuel de Roda, nunc penes S. V. ejusdem Regis Catholici Minister, ejusque Regio nomine, ac Mandato S. V. orat, ut ratum sanctumque habeat, atque auctoritate Apostolica approbare, et confirmare dignetur ejusdem Patronatum SS. Virginis Mariæ in ejus Sacro Immaculatæ Conceptionis Mysterio cum precum recitatione, et cultu congruentibus. Atque ut probe intelligatur, quæ in hanc rem, ut præfertur gesta sunt, authenticas attestationes actorum in dictis generalibus Comitibus, quo decet obsequio exhibet.

Votum totius Hispaniæ Nationis de re.

§. 3. Cumque simul nobis obtulerit ipsius Regis Epistolam, datam Sancti Hidelphonsi die 28 Augusti proxime elapsi, Nobisque directam, qua gesta hac de re in præhabitis Comitibus Nobis repræsentans, ut ejus votis annueremus humiliter supplicat.

Apostolica auctoritate confirmatur S. V.

§. 4. Nos eximiam, et undique perspectam dicti Caroli Regis religio-

nem, summopere comendantem, ac subditorum ipsi popularum pietatem, et devotionem hujusmodi, Prædecessorum Nostrorum exemplo, tueri volentes, illius voluntati eo impensius obsecundare studemus, quo auctoritas Nostra spirituali, et temporali dictorum Regnorum, et Dominiorum utilitati noscitur profectura: firmamque spem, et fiduciam habentes, eandem Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam gratum habituram in Cælis quod Uaigeniti ejus Filii Domini Nostri auctoritate, Nobis licet immerito tradita, gerimus in Terris, ipsam in prædicto Mysterio colendam, uti præcipuam, universalem Patronam dictorum Regnorum, et Dominiorum, juxta preces in præinserto supplici libello expositas, decernimus, et electionem ut præfertur factam, Apostolica auctoritate, harum serie confirmamus, et approbamus.

5. Ejusdem propterea Mysterii Festum in dictis Regnis, et Dominis per universum Clerum tam Secularem, quam Regularem, et quomodolibet exemptam, sub ritu duplici primæ Classis cum octava celebrari, cum prerogativis omnibus hujusmodi Patronorum Festis competentibus, et a Sede Apostolica approbatis, juxta tamen rubricas Breviarii, et Missalis Romani, et sine imminutione aliqua cultus in dictis Regnis ac Dominis S. Jacobi Apostolo, etiam illorum Patrono, præstari soliti, et salva in omnibus observantia Constitutionum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, præsertim fel. rec. Pauli V. ann. 1617. Gregorii XV. ann. 1622., et Alexandri VII. Ann. 1651. super ejusdem Mysterii veneratione editarum, quarum tenorem per præsentem innovare intendimus, dicta Apostolica auctoritate servari, et exhiberi concedimus, et respective præcipimus, et decernimus.

§. 6. Præsentem omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui die, quo dicti Mysterii celebritas per Catholicam Ecclesiam recolitur, a primis Vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi, quamlibet Ecclesiam in Regnis, et Dominis præfatis Omnipotenti Deo in honorem ejusdem B. M. V. dicatam, et quoad Regulares qui propriam Ecclesiam quotannis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam

sub Immaculatæ Conceptionis Mysterio tamquam Hispaniarum Patronam.

Festum Immaculatæ Conceptionis sub ritu duplici primæ Classis assignatur pro universis Hispaniis Belgis.

Peculiares indulgentiæ conceduntur pro Christifidelibus utriusque sexus in die festo Immaculatæ Conceptionis.

omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, misericorditer in Domino perpetuis futuris temporibus concedimus. Non ostantibus etc. Volumus autem etc. Nulli ergo omnino liceat etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1760. sexto Id. Novemb. Pontificatus Nostri Anno III.

Dat die 15 Nov.
1760 Ann. ter-
tio.

CLXVIII.

Nachadorum Principem laudat de ejus humanitate erga Christifideles suis in Ditionibus degentes, et ut in proposito persistat hortatur, nec non eundem Principem certiore facit de iis quæ pro Græco - Melchitis a Sancta Sede gesta sunt, et de ejusdem S. Sedis voluntate ad removenda dissidia inter Maronitas Monticulos, et Hyerapolitanos.

Quoad controversias respicientes Græco-Melchitas vide Pontificis hujus Epistolam Antiocheno Patriarchæ directam, et hoc II. Tom. relatam sub Num. CLVII., nec non Apostolicas Literas, easdem controversias respicientes sub seq. Num. CLVIII. De dissidiis obortis inter Monachos Maronitas Congregationis Monti Libani adsunt Literæ Apostolicæ ab hoc patriter Pontifice directæ Patriarchæ Antiocheno, et relatæ Tom. I. sub numero: LI.

Illustri ac Potentissimo Chamaad.
Magno Nachadorum Principi.

Clemens PP. XIII.

Illustris, ac Potentissime Princeps salutem, et lumen Divinæ Gratia.

Principis humanitatem erga Christifideles comendat, hortaturque, ut in hac perseveret voluntate, et Apostolica Decreta executioni committi curet.

§. 4. **L**audamus magnopere humanitatem Celsitudinis Tuæ, quam lætantes aspeximus iis in literis, quas nuperime ad Nos dedisti, et quoniam fides nostra docet, Christianos omnes ubicumque terrarum sitos, esse unius in Christo quasi corporis membra, magnas Tibi gratias agimus, quod eos benevole excipias, ac tuearis, ac nihilominus, quam si eadem ista humanitatis, ac benignitatis officia, quæ in Christianos Filios Nostros confers, in Nos ipsos, qui ejusdem Christi misericordia ipsius vices in terra gerimus, con-

ferres, rogamusque, ut in ista voluntate perseveres, atque etiam aliquid addas Nostra causa: nam si voluntati Nostræ excelsum præsidium Tuum accesserit, et decreta, quæ dedimus fideliter executioni mandentur, brevi omnibus incommoditalibus, quæ recens natæ sunt, Deo miserante, prospectum iri confidimus: nihil enim magis cordi habemus, quam ut in omni Ecclesia pax atque concordia servetur, et si unquam perturbari contingat, quam cito restituatur,

2. §. Ut igitur, quæ in hunc finem consilia capimus, Nobilitas Tua cognoscat, statim ac Romam pervenerunt Nationis Græco - Melchitæ Ablegati, quamvis tum gravissimis curis detineremur, illico tamen adjecimus animum ad expendendam, juxta Sacrorum Canonum normam, Monachi Ignatii electionem ad eum Patriarchatum, eamque cum invenerimus pluribus vitiis laborare, irritam, ac nullam declaravimus, cogitavimusque subinde novum Patriarcham Græco - Melchitis præficere, qui tam illustrem Cathedralam merito occuparet, ne si ulterius distraheretur electio, nova, ac deteriora scandala nascerentur, atque omnia rite perficerentur Dilectum Filium Dominicum a Lanceis Ordinis Prædicatorum Virum Nobis multa virtutum laude probatum isthuc ablegandum esse censuimus, opportunis eum diplomatibus, mandatisque munientes, quem propterea regali Patrocinio tuo enixe commendamus, rogamusque, ut eandem illi ac Nobis fidem adhibeas.

§. 3. Hæc de Græco - Melchitis; ad Monachos Maronitas quod attinet, nihil pariter æque cupimus, quam ut extinguatur aliquando ea divisio, animorumque dissentio, quæ Cænobiticum illum Ordinem ad interitum vergere facit, et Monticolæ cum Hyerapolitanis in concordiam redeant, atque uni eidemque Præfecto obtemperent; non patitur enim neque Monastica Disciplina, neque recta regiminis ratio, ut unum, idemque corpus duo habeat Capita; Monticolæ hac de re sæpius audierunt Venerabiles Fratres Nostri Congregationis Fidei Propagandæ agnoveruntque, illos supremum sibi Præsulem constituisse, contra id, quod eadem ipsæ regulæ, quas professi sunt statuebant: quamobrem perdurantibus iis in sua contumacia, juvari ac foveri nondam potuerunt, ne inde molendorum Schismatum sumerent alii periculosum exemplum; prudentiæ enim

Nachadiorem Principem certiore facit de reddita pace Græco-Melchitis per Nationis hujusce Patriarchæ electionem, et Apostolici Commissarii deputationem, quem Principis protectioni commendat.

Pontificium exprimit desiderium pro conciliandis dissidiis exortis inter Monticulos, et Hyerapolitanos, qua in re Nachadorum Principis implorat auxilium.

Tuæ ignotum esse non potest, quam necesse sit subditos in debito obedientiæ officio continere: quamobrem Patriarcha Tobias mandatorum, quæ hinc acceperat, fines; non creditur excessisse: nihilo secius tamen ut semper magis intelligas. quanti apud Nos valuerit commendatio Tua, Monticolas rursum audiri mandavimus, quod quidem anno præterito fieri nequivit, quoniam Monachus ille, qui Romam venerat, nullum protulit legitimæ Procurationis Mandatum: quod si Apostolicæ Sedis benevolentiam promerere cupiant, pareant quam primum oportet, quousque enim resisterint ipsi, sibi met ipsis impedimento erunt, ne Paternæ charitatis Nostræ benignitatem experiantur. Facit autem comitas, atque justitia Tua ut speremus, in hoc ipsum operam Tuam libenter daturum, quod et tranquillitati, et bono ipsorum Cænobitarum plurimum conferet. Nos vicissim si quapiam in re gratificari Tibi unquam poterimus libentissime præstituros esse recipimus, ut quanti eximias animi Tui dotes faciamus pro Tuis in Christifideles meritis, ubicumque fas erit, declaremus, atque Deum Opt. Max: incessanter orabimus, ut diuturnam incolumitatem, veræ felicitatis agnitionem, adeptionemque Celsitudini Tuæ largiatur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Novemb. MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Literas quibus Dominicus a Lanceis Ordinis Prædicatorum pro componendis dissidiis, inter Maronitas Monticolas, et Hierapolitanos subortis ablegatur, et quæ in præsentibus enunciantur, invenire in Vaticanis Archivis, et in Secretaria Brevis datum minime fuit, adeoque si illas reperiri postmodum contigerit, eas, in Appendice ad finem hujus Pontificatus, col. locabimus.



CLXIX.

Dat die 24 Nov.
1760 Ann. tertio.

Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi significat provisionem Ecclesiæ Alladen factam favore nominati a Majestate Sua, rationesque exprimit cur de nominatione ipsa mentio minime occurrat in Literis expeditis favore provisi.

Vide etiam Epistolam CLXV. in hoc II. Tom. quoad Regiam Jacobii III. nominationis prærogativam ad Catholicas Sedes in Regno Hiberniæ.

Carissimo in Christo Filio Nostro
Jacobo Magnæ Britanniæ
Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Cum Nos hodie per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas litteras, quarum tenorem pro plene, et sufficienter expresso, ac præsentibus inserto haberi volumus, Ecclesiæ Alladen in Regno Tuo Hiberniæ vacanti, dilectum Filium Philippum Philips, cui apud Nos de iis, quæ ad tantum onus sustinendum necessariæ sunt, qualitatibus, fide digna testimonia perhibita fuerunt, quemque Nobis Majestas Tua per suas literas ad id nominavit, in Episcopum præfecerimus, et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiæ Alladen, ei in spiritualibus, et temporalibus committendo; verum in literis hujusmodi nullam nominationis a Te factæ, et ad Te pertinentis, mentionem fieri censuerimus, iis ita suadentibus rationibus, quas pro spectata prudentia tua Te facile assequaturum esse non ambigimus, idque Tibi nullo modo officere summopere cupiamus; idcirco per præsentem expresse declaramus, mentem Nostram fuisse, et esse, ut ex hac præteritione, quam præsentis temporis conditio postulabat, nullum Tibi, Tuisque juribus nominandi detrimentum illatum fuerit, vel sit, sed ea omnia ita salva illæsa, ac præservata intelligantur, perinde ac si in eisdem literis, expressa Tuæ nominationis hujusmodi mentio facta fuisset. Quod dum eo animo Tibi significamus, ut novum in hoc accipias argumentum illius intimæ, ac prorsus patentiæ, qua Te in Domino complectimur, et semper complexi fuimus, charitatis, Apostolicam Benedi-

ctionem Majestati Tuæ amantissime impertimur: Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiv. Novembris MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 26.
Nov. 1760 Pont.
Ann. III.

CLXX.

Prævia derogatione dispositioni Testamentariæ Canonici Caroli Bellincini, medietatem reddituum illius hæreditatis applicat piæ Domui pauperum mendicantium in Civitate Regii, loco novi hospitii pro ipsis pauperibus erigendi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem

Exponitur pia Bellincini dispositio super erectione hospitii pro pauperibus Mendicantibus in Civitate Regii a Fratribus Cappuccinis regendi.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Exequutores Testamentarii hereditatis Bellincini istius Civitatis Regiensis, quod alias tunc in humanis agens Comes Carolus Bellincini Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Regiensis in suo, sub quo Anno MDCCLV. ab humanis decessit, condito testamento, mandavit exponentibus prædictis, ut postquam ex fructibus, et redditibus honorum hæreditariorum æs alienum, quo bona prædicta gravata existebant, dissolutum fuerat, domum in dicta Civitate acquirerent, ihique unum hospitium, sub nomine domus Jesus Christi, erigerent, gubernandum sub spirituali directione dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quibus mandavit, a dictis exponentibus præstari debere recognitionem suorum laborum, et juxta Constitutiones Domus Parisiensis, ac in eo hospitari voluit Pauperes mendicantes dictæ Civitatis, in quorum persona hæredem scripsit Jesum Christum, et alias prout in dicti Caroli Testamento uberius dicitur contineri.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, qui ut asserunt, post biennium ab obitu dicti Caroli Testatoris accidit inopinato eventu, quod dilecti, etiam filii Præsides piæ domus Mendicantium ejusdem Civitatis ex plurimum Benefactorum elemosynis reparari cœperunt, et ampliare ædificia antiquitus erecta pro pueris, puellisque recipiendis eo successu, ut sub auspiciis dilecti filii Nobilis Viri Francisci Mutinæ, et Regii Ducis novis

in dies superventis auxiliis, subsidiisque, adeo magnum ædificium constitutum fuit, ut pro aliquibus pauperum centenis habitatio ibidem absoluta reperiat, una cum Præsibus Piæ Domus Mendicantium ejusdem Civitatis, pro commutatione voluntatis dicti Caroli Testatoris, nempe, ut loco erigendi novum hospitium, erogentur fructus dimidiæ hæreditatis a memorato Carolo relictæ in alendis pauperibus in dicta pia Domo Mendicantium pro tempore recipiendis, et existentibus, reservata altera fructuum medietate pro dimittendo, dissolvendoque ære alieno dicti Caroli ascendente ad libras centum mille circiter monetæ Mutinensis, utque loco dictorum Fratrum Cappuccinorum subrogentur Presbyteri Sæculares, pro spirituali eorumdem Pauperum directione, qui non Regulas Parisiensis, sed Regulas illas ejusdem Piæ Domus Mendicantium servare teneantur, opportune a Nobis sibi in præmissis providere summo opere desiderent.

§. 3. Nos supplicem libellum Nobis porrectum infrascriptæ Cardinalium Congregationi remisimus; Tu, datis Tibi Literis, prænarrata comprobans arbitraris, quod satisfacto prius pio Benefactori, qui gratuito hæreditatis prædictæ quamdam pecuniæ summam mutuum dedit, concedi possit Exequutoribus Testamentariis Bellincini facultas erogandi dimidium reddituum in introducendis, seu alendis in hospicio dictæ piæ Domus mendicantium pauperibus mendicantibus, qui polleant qualitatibus a dicto Carolo Testatore volentis, præscriptisque, et per eosdem exequutores, Episcopo pro tempore Regiensi existente approbante, eligantur, quo vero ad subrogationem Presbyterorum Sæcularium, loco Fratrum Cappuccinorum, et Regulam Piæ Domus Mendicantium, loco Regularum Parisiensium, quæ adhuc obtineri non potuerunt, annuendum pariter censes instantiæ, qui cum reliqui pauperes in majori numero, a Presbyteris probatæ vitæ, et doctrinæ, Religionis sub Regulis propriis dicti Hospitii regantur, satis congruum est, quod eodem modo etiam pauperes in introducendi cum redditibus hæreditatis dicti Caroli gubernentur, in reliquis autem autumas servandas esse dispositiones dicti Caroli Testatoris.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis cen-

Episcopus Regiensis eo fuit in sensu, ut imploratæ commutationi indulgeri possit, quod iisdem visum pariter S. Congregationi concilii Tridentini.

Preces potestate pro commutanda Testatoris dispositione, et cause hujus imploratæ commutationis.

Pentifex imploratam commutationem approbat, et super illius executione Regiensem Epi-

scopum deputat. suris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui relationem Tuam ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, Fraternitati Tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, exponentium praedictorum precibus, auctoritate Nostra Apostolica, pro Tuo arbitrio, et conscientia gratis indulgeas, juxta superius enarratum Tuum votum, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium, non obstante supradicti Caroli Testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxvi. Novemb. MDCCLX. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dal die 29 Nov.
1760 Ann. III.

CLXXI.

Ne quaestio jurisdictionalis extorta inter Parochum Kerpensem, et Archiepiscopum Coloniensem, jam a Sanctitate Sua composita, resurgat, Imperatrici Mariae Theresiae summopere commendat, atque adjutricem requirit operam.

Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae Illustri, in Romanorum Imperatricem Electae.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia Nostra salutem,
et Apostolicam Benedictionem

§. 1. Inter caeteras aegritudines, quibus afficiebamur vix ad summum Pontificatum evecti, non minoris certe momenti ea fuit, quae Kerpenam, Dominationi Majestatis Tuae subjectam respiciebat: suborta enim jam pridem controversia inter Parochum, atque Indigenam Coloniensem, utroque contendente Magistratu Ecclesiastico nempe,

Bull. Rom. Tom. II.

ac Seculari, apud quem dijudicanda foret, res eo processerat, ut Parochus, Coloniensem Curiam adire impeditus, ab Episcopo suo electore, nempe Coloniensi, sacris jamdiu interdictus esset, abruptaque cum eo foret Kerpenensis Cleri, totiusque Populi communicatio, nataque inde plurima scandala, atque peccata in Ecclesiasticae Disciplinae gravissimum detrimento, neque concordiae ulla spes effulgebat ob alias majores contentiones, quae ex illa priori tanquam ex semine pullaverant, longioremque propterea requirebant indaginem.

§. 2. Etsi autem Nostrum non erat, de omnibus iis discordiarum causis decernere, non poterat tamen non esse Nostrum, Parochum illum cum suo Pastore conciliare, et schismata plurimum annorum e medio tollere, ut salutis pabulum, et Ecclesiae Sacramenta Kerpeni populo legitime dispensarentur. Quamobrem sepositis quaestionibus iis, quae et locorum consuetudinem, et Feudum naturam respiciebant, necessarium fore censuimus, ut Parochus a vinculis, quibus jamdiu irretitus erat ab eodem Antistite prius absolveretur, sicque ab omni noxa expiatus, ad Ovile suum rediret, quemadmodum post plurimas hortationes, atque officia, tandem aliquando, Deo miserante, evenerat, paucis diebus antequam Parochus e vita decederet: mirae enim bonitati, atque Misericordiae Domini tribuendum est, quod ab Ecclesiasticis censuris solutus, ac liber, aeterno se stiterit Judicis.

§. 3. Ut autem bonum hoc, quod assequuti eramus, firmas radices agere possit, neque pateat imposterum eandem ob causam nova offensionum, discordiarumque occasio, videt Majestas Tua pro sua eximia, ac singulari praesentia, quantum necesse sit pietatis ac charitatis suae erga Populum illum, Nos implorare praesidium, ut omne dissensionis fermentum inter utrumque forum auferatur, Episcopi jurisdictio in Kerpensem Clerum, sicut antea fuit exercita, exerceatur etiam imposterum, et si quae perpendenda, vel discutienda sunt, Majestate Tua praecipiente, ex aequo componantur: qua in re, si quidpiam possumus, omnem sollicitudinem, operam, auctoritatemque Nostram pollicemur, nihil enim magis cupimus, quam ut aequa pax, atque concordia Sacerdotium inter, et Imperium sancte custodiatur, et Ven. Fr. Archiepiscopus Coloniensis, qui hortationibus Nostris docilem se praebuit, benevolentiam Tuam experiator, quemadmodum ipse

Quae gesserit Summus Pontifex ad controversias conciliandas, quidque feliciter obtinuerit exponit.

Majestatis Suae invocatum auxilium, ut quae feliciter composita fuerit, consistant in posterum.

Narrat subortam querimoniae causas, et scandala inde obventa.

flagranter cupit, Nos vero quantum possumus enixe commendamus, et Majestati Tuæ a Deo felicia; ac prospera ardentissime aprecamur, tamquam optimæ, et carissimæ Filiæ, cui pignus paternæ charitatis Nostræ, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIX. Novembris MDCCLX. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 27 Dec.
1760. Ann. Tertio.

CLXXII.

Hispaniarum Regi Catholico per has Literas significat, ejusdem, subditorumque votis annuisse, Deiparam Virginem sub Immaculatæ Conceptionis Mystero tamquam totius Hispaniæ, et Indiarum præcipuam Patronam elargiendo.

Literæ Apostolicæ per quas principale Deiparæ Virginis Patrocinium Hispanicis ultra, et citra marinis Regnis indultum fuit, relatæ superius sunt hoc II. Tom. Num. CLXVII.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Filii Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem

De elargite
Deiparæ Vir-
ginis patrocinio
pro Hispanicis
Regnis certio-
rem facit Ca-
tholicum Re-
gem.

§. 1. Qui Majestatis Tuæ negocia apud hanc Sanctam Sedem diligenter curat, ac fideliter gerit, Dilectus Filius Emanuel Roda, obtulit Nobis literas Tuas, supplicemque libellum, quo continebantur preces Regnorum Hispaniæ nomine, tum Majestati Tuæ porrectæ, quum fidelitatis, et obedientiæ juramentum exciperes. Animadvertimus in iis laudavimusque simul Tuam, subditorumque Tuorum studiosam pietatem in Patrocinium Beatissimæ Virginis cujus Conceptionis dignissima, summum Universo terrarum Orbi intulit gaudium: quomobrem cogitare statim cœpimus quomodo votis Tuis gratificari possemus quemadmodum fecisse Nos, ex eo, quod mittimus, Diplomate, manifesto comperies; illud enim Tibi persuasum valde cupimus, in gravissimo hoc, quod sustinemus Apostolatus Officio anxietatum, ac laborum plenissimo, nihil Nobis optatius contingere posse, quam ubi de Filio, qualis ipse es, revera carissimo, datur benemerendi facultas, quod quidem tum ex his, tum ex aliis, quæ proxime evenerunt, modo exploratum fore minime dubitamus, si quidem

ita comparati sumus, ut quæcumque a Nobis profiscisci possunt, merito debere existimemus spectatissimæ Religioni Tuæ, perpetuæque in hanc Petri Apostolorum Principis Cathedram observantiæ, ex qua vicissim quidquid ad illius decus, ac dignitatem sive augendam, sive defendendam pertinet, ipsi quoque Nobis omnino pollicemur.

§. 2. Rogabimus interea Deiparam Virginem, qua nulla purior, nullas sanctior, nulla plenior gratia fuit, ut Tibi, et lectissimæ Regiæ Soboli ostendat se Matrem pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei, quæque inter omnes Mulieres benedicta cunctas exornat Ecclesias, a benedicto Ventris sui fructu, nisi præpoteus Advocata, et singularis Patrona Iberiam omnem, et amplissima Regna Imperio-Tuo subjecta, non terrenis modo, sed Cælestibus divinæ gratiæ muneribus cumulari perpetuo faciat, Nostrique auspicij certissimam vadem constituimus, Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, carissime in Christo Fili Noster, amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Preces Deiparæ Virgini porrecturum pro Hispanicarum felicitate, atque Regiæ Familiæ promittit.

CLXXIII.

Dat. die 24 Dec.
1760 Ann. tertio.

Illustrem Poloniæ Regem certiozem facit, se illius votis obsecundasse, et adiutorem Cracoviensi Ecclesiæ dedisse, novi Episcopi Auditoris institutione a quo Lublinensis, et Sandomiriensis Clerus regeretur.

Literas, quibus novus Episcopus Auditor constituitur, prout in præsentibus enunciatur, minime invenire datum fuit in Archivis Vaticanis, et in Secreteria Brevium, quas si deinceps reperiri datum erit, eas inseremus in Appendice ad finem hujus Pontificatus.

Carissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniæ Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Nisi Divinæ bonitatis miseratio in hoc gravissimo, quod Nobis impo-

suit, onere, Nos sustentaret, inter plurimas anxietates, quibus undique præmitur, non posset infirmitas Nostra consistere: Illud tamen solatio est, ubi de optimis, atque carissimis Filiis, qualem pro sua constanti in hanc S. Sedem observantia, ac fide, Majestatem Tuam reputavimus semper, benemereri fas est, ut nuperrime contigit de ea petitione, quam literis Tuis ad manus Nostras redditis per Ven. Fratrem Nostrum Joannem Franciscum Albani Cardinalem Episcopum Sabinensem effecisti, idemque officiis suis mire comprobavit: hac enim in Consistoriali conventu, mature digesta, compertaque ingenti, et locorum, et Cleri, et Lublinensis, et Sandomirensis Seminarii distantia, certaue dote novo Episcopo Auditori constituenda rem illico expediti mandavimus: ea lege, quæ, et Cracoviensi Ecclesiæ utilior, et ipsi Episcopo erit gloriosior, quemadmodum fusius ab eodem Cardinali Albano Majestas Tua accipiet, qui plura etiam referet de Nostra singulari, ac vere paterna in Majestatem Tuam benevolentia, cujus jucundissimum Nobis accidit, novum, certissimumque dare pignus in Apostolica Benedictione, quam Tibi, Carissime in Christo Fili Noster, amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Dec. MDCCLX. Pontificatus Nostri anno Tertio.

CLXXIV.

Viennensem Archiepiscopum summopere comendat, pro denegato assensu arbitrariæ abolitioni Canonorum Regularium S. Ruffi, et translationi eorundem bonorum omnium ad manus Militum S. Lazari, utque in proposito persistat conservandæ Ecclesiasticæ, et Regularis disciplinæ, hortatur.

Venerabili Fratri Willelmo Archiepiscopo Viennensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Fr. salutem, et Apostolicam Benedictionem

Quod summopere exoptamus, ut certiores efficiamur, quid in quaque Diœcesi sit, in quo possimus diligentiam eam, quam debemus Deo, ac Domino nostro Jesu Christo, præstare, hoc Nos assequutos esse: ex literis Fr. Tuæ læ-

tamur, quibus renunciavisti pactum quoddam initum inter Canonicos Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazari de Religiosa illorum Familia abolenda, transferendisque bonis omnibus ad eorum Militum manus. Condoluius equidem ad hunc nuncium, rationum earum momenta considerantes, quas vivis coloribus exprexi, neque possumus, quin commendemus egregium studium, quo incenderis Ecclesiasticæ, ac Regularis Disciplinæ conservandæ, tuendorumque Religiosorum Ordinum, si Divinæ gloriæ, et animarum saluti utilem exhibeant operam. Ad Nos quod attinet, illud pro certo te habere volumus, nihil hac de re Nobis hæcenus fuisse propositum, neque ex una, neque ex altera parte; quod si proponi contigerit, nullam certe deliberationem capiemus, sine Consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Consistorialis, apud quos, more Majorum, perpendi, ac librari accuratissime solent ejusmodi postulata, ii vero nihil unquam decernere consueverunt, nisi prius rem omnem undequaque cognoverint, exploraverintque sententiam eorum Antistitum in quorum Diœcesibus unienda, vel extinguenda sunt Monasteria: *accingere igitur Venerabilis Frater lorica justitiæ, ut si quando opus fuerit, educa in veritate iudicium tuum*: illud enim Divina misericordia freti pollicemur, nihil admissuros Nos esse, quod Divino cultui promovendo, et Ecclesiæ utilitati non sit consentaneum: hujus autem bonæ voluntatis, cujus largitor est Deus, constituimus vadem, Apostolicam Benedictionem, quam Tibi Ven. FF. peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXX. Decembris MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 5o. Dec.
1760 Ann. III.

CLXXV.

In idem Argumentum Episcopo Valentino perscribit, ejusque studium, sollicitudinemque laudibus prosequitur, quibus obstiterat arbitrariae abolitioni, et honorum translationi.

Venerabili Fratri Alexandro Episcopo Valentino.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Fr. salutem, et Apostolicam Benedictionem

Nihil est, quod tam conveniat Nostro, et Episcoporum omnium officio, ac muneri, quam assidua cogitatione versari, quam potissimum ratione possimus impendentibus malis occurrere, animarum salutem consulere, Christi gloriae omnibus in rebus servire: Hanc ob causam lubenter accepimus literas, quas nuper dedisti, ut pari, cum Tuo Metropolitano, animi consensione significares, Canonicos Regulares Sancti Ruffi quoddam iniisse foedus Cetus sui abolendi, applicandique bona Militari Ordini Sancti Lazari; qua de re nihil adhuc, ut id quod est fateamur, ad aures Nostras pervenerat. Placuit vero studium, atque sollicitudo Tua ejus Regularis Familiae retinendae, exercendaeque in Divinis concentibus, et Domini Agri cultura, cui plurimum detrimenti unionem istam allaturam esse conquaereris: qui autem, ut inuimus, de hoc nihil adhuc audieramus; nihil Nos in hac re deliberatos, si petitio haec instruat, nisi de Consilio V.V. Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis Concistorialis, qui priusquam decreverint quidpiam, et postulata hanc adamusim expendere, et Episcoporum, quorum interest, iudicium, et assensum exquirere diligenter solent. Restat igitur, ut si casus evenerit, eadem ipsa, quae modo scripsisti, tum rogatus, prolixius adhuc, si velis, exponas, siquidem nihil aliud, Deo miserante, optamus, quam Ecclesiae utilem navare operam, neque Apostolica auctoritate quidpiam praestare, quod ejus utilitati, et animarum salutem non sit profuturum. Haec sunt vota, quae jugibus Sacrificiis nuncupamus: haec ut Tuis quoque precibus adjuves flagranter petimus, damusque Tibi Ven. Fr. Paternae charitatis pignus, Apostolicam Benedictionem. Datum Romae apud

S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Decembris MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXVI.

Dat. die 2. Jan.
1761 Ann. III.

Significat, satis non esse, ut quis ad Episcopalem dignitatem evehatur, qui Regularem vitam est amplexus, quod vir probus, ac doctus sit, sed requiri vel Ecclesiae necessitatem, vel magnam hujus utilitatem.

Dilecto Filio Nobili Viri Principi Montis Maurentiaci

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Nobilis Vir salutem, et Apostolicam Benedictionem

§. 1. **A**ccēptis secundis literis Tuis, quibus iterum postulasti, ut dilectus Filius Chrysostomus Ordinis Carmelitici, excalceatorum Episcopatus honore donaretur, dudum iterum, quod, obsistentibus Canonicis Sanctionibus, votis Tuis obsecundare non liceat: non enim sat est ut quis ad talem, tantumque gradum evehatur, quia vir probus, et doctus sit, et Ecclesiastico praestimonio facile dotandus; nisi id ipsum vel Ecclesiae necessitas postulet, vel magna utilitas suadeat, quemadmodum prioribus in literis Nostris latius perscripsimus: quamobrem cum ille, perfectissimum vitae genus amplexus fuerit, sacrisque praedicationibus diligenter incumbat, Tu vero eum singulari studio prosequaris, curandum est, ut in ea, in qua vocatus est, vocatione, sancte, lubenterque permaneat: atque interea Tibi Dilecte Fili Nobilis Vir, Apostolicam Benedictionem peramanter imperitur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die II. Januarii MDCCLX. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. diei 10. Jan.
1751. An. III.

CLXXVII.

Locum in Sacrae Romanae Rotae Auditorio, quod Sixtus V. Reipublicae Venetae concesserat, pro uno ex Venetis Juris utriusque Doctoribus, a Republica praesentandis, et a Romano Pontifice seligendo, confirmat, et indulget, ut futuris vacationibus, unum tantum Nobilem, vel honestum Venetum Civem, utraque Laurea donatum, praesentare debeat Respublica ipsa.

Constitutio Sixti V. qua Veneto Auditori in Sacra Rota aditus patuit, et de qua in praesentibus Literis est mentio, non reperitur impressa in Bullario Mainardii.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci,
et Reipublicae Venetiarum.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii Nobiles Viri salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. In hoc gravissimo, quod sustinemus Apostolicae servitutis officio, molestiarum undique pleno, nihil dulcius est; quam de Vestro Amplissimo Ordine, Nostraque carissima Patria, avitae Religionis retinentissima, posse aliquando benemerit: huic enim, et plurimum debere Nos profitemur, et a prima die, qua fuit humilitas Nostra ad summum Pontificatum everta, semper cogitavimus ultro gratificari. Hunc paternae, et singularis charitatis Nostrae sensum Nobilitatibus Vestris alias significavimus, tum vero praecipue cum literas dedimus diei x. Maii Anni nuper elapsi per dilectum Filium Equitem Aloysium Mocenigum. S. Marci Procuratorem, ad Regem utriusque Siciliae Reipublicae Vestrae Oratorem isthaec pertransuentem, atque hoc ipsum, uti receperamus, eidem confirmavimus redeunti, et Vestra ex voluntate, Nostraque, ob veterem amicitiam, cum jucunditate ad aliquod temporis spatium hic commemoranti:

§. 2. Quamobrem reputantibus Nobis qua ratione contestatam jamdiu benevolentiam, re ipsa comprobaremus, ea subiit cogitatio, quod vacuo Romanae Rotae Auditorij loco, propter illustre Regnum, quod a Catholica Fide defecerat, felicitis recordationis Sixtus V. Pontifex Max. Praedecessor Noster, Vobis indulxit, ut quatuor Juris utriusque Doctores, Vestra ex Ditione proponeretis,

e quibus Romanus Pontifex, sibi magis benevisum, deligeret, quemadmodum haec in more positum fuit, Nosque ipsi sic a Vobis propositi, per felicitis recordationis Benedictum XIII. fuimus ad ejusmodi munus adlecti.

§. 3. Pergratum igitur fore Vobis arbitrati sumus, Vestrae Reipublicae gloriosum, Nostraeque accepti beneficij memoriae valde consentaneum, si eandem ipsam facultatem Vobis impertiremur in Romanae Rotae Veneti Auditoris nuncupatione, qua summi Reges, Romanorum nempe in Germania, Francorum in Gallis, Hispaniarum in suis aliquibus Regnis, ex Apostolicae benignitatis indulgentia fruuntur. Nos itaque, praeclearissimum Ordinem Vestrum, pari, ac illos, in honore hac in re habere cupientes, et carissimae Patriae singulare aliquod amoris Nostris testimonium largiri; Vosque ipsos specialibus gratiis prosequi, motu proprio, non ad Vestram, seu alterius pro Vobis, super hoc oblatae petitionis Instantiam, sed ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, volumus, statuimus, ac declaramus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, et quotiescumque vacaverit Romanae Rotae Veneti Auditoris subsellium, quod occupatur modo per dilectum Filium Magistrum Joannem Cornelium, non amplius quatuor Juris utriusque Doctores, ut antea proponere debeatis, sed unum dumtaxat ex Nobilibus Civibus, vel ex honestis Familiis Vestrae Dominationis, Juris utriusque laurea pariter donatum eligatis, ac nominetis, qui Cappellani Nostris, et causarum Palatii Apostolici Auditoris munere fungatur, cujus quidem electionis, seu nominationis, Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris, a Vobis per literas Vestras faciendae, eandem volumus haberi rationem, quae haecenus ab Apostolica Sede de aliis electionibus, seu nominationibus, quae fiunt ad ejusmodi Romanae Rotae Auditorii subsellia respective vacantia, a Summis Regibus superius memoratis, semper haberi consuevit.

§. 4. Decernentes, praesentes Nostras literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, Vobisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Benedictus Deus totius consolationis, et pacis repleat Vos

Eisdem Reipublicae Venetae facultates in eligendo Romano Rotae Auditori tribuit, quibus polleat Summi Reges, Romanorum scilicet, Francorum, et Hispaniarum.

Clausa apponuntur pro efficacia hujus concessionis, cum derogatione contrarium.

Venetam Reipublicam laudibus commendat, eique suum amorem exprimit Pontifex.

Reipublicae indolium de eligendo Auditori in S. Romana Rota commemorat, et locum in ea a Sanctitate Sua obtentum laudatiter recordatur.

omni gaudio ; omnique Rempublicam Vestram prosperitate cumulet ; sitque hujus auspicii , et amantissimæ voluntatis Nostræ certissimum pignus Apostolica Benedictio , quam Vobis Dilecti Filii Nobiles Viri , toto corde largimur : Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die x. Januarii MDCCLXI. Pontificatus Nostrî Anno Tertio.

Dat. die 12.
Sept. 1760. Ann.
tertio.

CLXXVIII.

Episcopo Clusino facultates tribuuntur pro unienda quadam Cappellania Curæ Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis cum onere constituendi Cappellanum Curatum , pro Spirituali Parrochianorum bono.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Exponitur infelix conditio Parochianorum , et tenues Rectoris Curati Clusini redditus , spiritualibus illorum comodis prospicere ideo impediti

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Aggravi Presbyter , ac Rector Curatus in ista Cathedrali Ecclesia Clusina , quod cum intra limites suæ Parochialis Ecclesiæ magna Incolarum multitudo usque ad mille , et quingentorum numerum ascenduntur reperitur , quorum major pars in quadam aperta planitie per plurimum milliariorum spatium in insalubri Coelo dispersa remaneat , ut Incolæ prædicti a Civitate magis dissiti , hyberno præsertim tempore pluries commode recipiendi Ecclesiastica Sacramenta , et Christianæ fidei rudimenta edocendi privati existunt ; redditus vero suæ Parochialis Ecclesiæ prædictæ , demptis dumtaxat oneribus realibus , summam octuaginta scutorum monetæ minime excedant ; et sicuti in districtu suæ Parochialis Ecclesiæ quædam Ruralis Ecclesia una cum domo , aliisque annexis , vulgo nuncupata = la Maddonna della Quercia Alpino = existit , in qua Sacrosanctum Missæ Sacrificium singulis festivis diebus celebrari solet quidam Cappellanus ad Tui , et pro tempore existentis Episcopi Clusini ad nutum amovibilis , prævia assignatione aliquot paucorum honorum , quæ summam duodecim scutorum annuis redditibus vix attingunt , seu non excedunt.

Clusinus Episcopus eo est in sensu ut Parochialibus necessitatibus per quosdam

§. 2. Insuper Tu , ut non solum spiritualibus necessitatibus Incolarum prædictorum consulere , verum etiam , ut jurgia , quæ inter Cappellanum prædi-

ctum , et ipsum Franciscum in dies oriri possunt ratione sacrarum functionum , et jurium Parochialium , evitare valeas , in eo es sensu , uniendi dictam Ecclesiam , illiusque Cappellaniam ad nutum amovibilem , ut præfertur , una cum aliis bonis annexis , et connexis , ac domo prædicta , parvisque annuis redditibus supradictæ Parochiali Ecclesiæ , hoc tamen adjuncto onere Rectori pro tempore existenti Curato Cathedralis Ecclesiæ prædictæ , retinendi in Rurali Ecclesia hujusmodi probum , ac idoneum Presbyterum , ab Episcopo pro tempore existente Clusino approbandum in Cappellanum Curatum , qui non solum in omnibus festivis anni diebus Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare , ac Ecclesiæ Sacramenta administrare , doctrinamque Christianam , aliaque Catholicæ fidei rudimenta docere , nec non cæteras Parochiales functiones exercere debeat , exceptis tamen tempore Paschali , aliisque solemnioribus anni festis diebus , quoad facultatem peragendi Parochiales functiones , quibus necesse esse videtur , ut habitatores ad propriam Parochialem Ecclesiam accedant , illamque pro Matrîce habeant , et recognoscant ; ac propterea dictus Franciscus considerans quod totum id in spirituale commodum , utilitatemque suorum Parochianorum , si fiat , cederet , facultatem uniendi dictam ruralem Ecclesiam eidem Cathedrali per Nos tibi concedi plurimum desiderat , Nobis propterea humiliter supplicari fecit , ut Tibi in præmissis opportune providere , et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus gratiis , et favoribus prosequi volentes , et a quibusvis excommunicationis , et interdicti , aliisque Ecclesiasticis censuris , et sententiis , et pœnis quovis modo , et quacumque de causa latis , si quas forte incurristi , hujus tantum rei gratia absolventes , et absolutum fore censentes , hujusmodi supplicationibus , inclinati , de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum , qui relationem Tuam super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderant , consilio , Fraternitati Tuæ per præsentem committimus , et mandamus , ut veris existentibus narratis , ad unionem supradictæ Cappellaniæ favore Curæ enunciatae Cathedralis , cum conditionibus superius expressis , auctoritate Nostra Apostolica , pro Tuo arbitrio , et conscientia procedere , et devenire possis , et valeas ; salva tamen semper in

Cappellania unionem Clusinae Parrochie succurri possit.

Proponuntur officia explenda a Cappellano Curato in sequelam propositæ unionis.

præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ac Ecclesiarum huiusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima secunda Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo primo, Pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXIX.

Dat. die 12.
Jan. 1761 Ann.
tertio.

Comittitur Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis in Sardinia Regno observantia peculiarium Instructionum super Ecclesiastica disciplina, Ecclesiastici Fori privilegio, et Clericorum, aliorumque Ecclesie servitio addictorum exemptione personali.

De criminibus, et locis qui Ecclesiastici asyli beneficio juvari minime poterant in Sardinia Regno, habemus hujus Pontificis Constit. edit. Ann. 1759. Martii 21. a nobis relatam Tom. I. Num. XLVI. Peculiares instructiones quoad Clericos, eorumque privilegia, et immunitates pro Regione Pedemontana, dederat S. M. Benedict. XIV. Ann. 1742., quæ tamen in Benedictino Bullario non inveniuntur insertæ.

Clemens Papa XIII.

Venerabiles Fratres salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Exordium

§. 1. Paternæ, ac præcipuæ charitatis effectus, quo Gregem Dominicum Bull. Rom. Tom. II.

curæ Nostræ Divinitus commissum prosequimur, jugiter Nos impellit, ut communi ipsius Gregis salutem, quantum Nobis ex alto conceditur, Pastoralis sollicitudine advigilemus.

§. 2. Cum sicut nuper non sine animi Nostri molestia accepimus, plures, nonnulli ab hinc tempore, in isto Regno Sardinia suborti sint, ac vigeant abusus, tum quoad Scholares, qui Clericali Militia adscribi desiderant, tum quoad Clericos Conjugatos, tum etiam quoad Laicos, seu Sæculares personas ob exemptionem Fori ratione servitii, quod præstant Curia Ecclesie, aliisque Locis Piis, quibus sunt addicti. Hinc est, quod Nos omnes abusus, inordinationesque huiusmodi, quantum cum Domino possumus, corrigere, reformare, et e medio tollere, ac piis charissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardinia Regis Illustris votis benigne obsecundare volentes, quamdam Instructionem Vobis tradendam, ad dictos abusus in Regno prædicto penitus evellendos accomodatam, quam certi sumus ipsi Carolo Emmanueli Regi, gratam, acceptamque fore, concedere curavimus tenoris sequentis videlicet.

Enumerantur abusus in Sardinia Regno introducti, quoad Ecclesiasticas exemptiones, et immunitates.

Instante Illustri Sardinia Rege, nonnullas Instructiones concinnavit Pontifex ab Ordinariis illius Regni servandas.

ISTRUZIONE

SOPRA DIVERSI PROVVEDIMENTI

PER GOVERNO

DELLE CURIE ECCLESIASTICHE

NEL REGNO DI SARDEGNA.

» Dopo aver Noi secondate le ret-
» tissime intenzioni di S. M. il Rè di
» Sardegna, provvedendo mediante un
» nuovo special Breve in data dei 21.
» Marzo 1759. ai gravissimi disordini,
» che succedevano in quel Regno, con
» pregiudizio della giustizia, e della
» pubblica tranquillità, per il troppo
» facile, e comodo confugio dei rei
» all' asilo delle Chiese, ed altri Luo-
» ghi immuni, eccitati nuovamente
» dall'instancabile zelo della M. S.,
» non meno per la conservazione della
» disciplina della Chiesa ne' suoi Do-
» mini, che per il bene de' suoi Sud-
» diti, abbiamo creduto di dover dare
» anche nuovi provvedimenti per rappor-
» to all' Immunità personale, ed al mi-

Referuntur præcedentes Ordinationes date pro Sardinia Regno quoad Ecclesiasticam asylum.

» glior sistema della Gerarchia Ecclesiastica in quel Regno. =

Commemoratur instructio- nes, quas S. M. Benedictus XIV. dederat pro Pedemontanis Regionibus.

» Informati pertanto degli abusi introdotti in quegli Ecclesiastici, e passati anche nei Laici, a titolo di varj Impieghi, e Uffizj in servizio delle Curie Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, con disdoro degli uni, e con molto danno dell' universale degli altri, dopo sentito il parere di alcuni Cardinali, e Prelati sperimentati, e pratici di questa materia, abbiamo stabilito coll' intelligenza della M. S. la presente Istruzione, sulle tracce di quella, che dalla Santa Memoria di Benedetto XIV. fù nel 1742. fissata per il Piemonte, sicuro, che come intesa anche col Regio Ministro Plenipotenziario in Roma incontrerà il pieno gradimento di S. M., e che dando perciò Ella gli ordini necessarj ai suoi Regj Ministri di uniformarsi alla medesima, ne sarà col concorso di ambedue le Podestà più costante, ed esatto l' adempimento, e si renderà sempre più inalterabile in quel Regno la perfetta pace, ed armonia fra il Sacerdozio, e l' Impero.

Ordo praesentium Instructionum describitur.

» E per procedere nella presente Istruzione colla dovuta chiarezza; si tratterà in primo luogo dei veri Chierici, e Chierici Conjugati, e della loro Riforma, e successivamente della qualità, e numero de' Laici, che essendo addetti al servizio della Chiesa, e della Curia Ecclesiastica debbono, o non debbano godere dei Privilegj del Foro, e dell' Inimmunità personale, in conformità di quanto si dispone negli Articoli seguenti.

Nemo ad primam Tonsuram admittendus, qui vel de Ecclesiastico Beneficio, vel de Patronie Sacro non sit provisorius.

I. Che niuno possa essere ammesso alla Prima Tonsura se non che a titolo di Benefizio, Cappellania perpetua, o Pensione Ecclesiastica, che nell' annuo reddito eccedano almeno la metà della tassa stabilita per il Patrimonio Sagro; o in difetto, se non sia provisto dell' intero Patrimonio Sagro, il quale non potrà essere costituito, se non che sopra beni stabili, e sopra annue rendite fisse, e dovrà essere regolato a tempo della tassa Sinodale di ciascheduna Diocesi.

Ad primam Tonsuram non admittantur decennio minores, nisi per triennium vel Ecclesiastico in convictu immorati, vel saltem in Clericali habitu insidentes, Ecclesie per tri-

II. Che non possa conferirsi la prima Tonsura, se non a chi dopo aver terminati i dieci anni di sua età, sia andato a dimorare almeno per un triennio in qualche Seminario, o Convitto Ecclesiastico, ed ove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l' abito Clericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il trien-

nio, o per la maggior parte delle Feste di preceſto di ciascuno dei tre anni, non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera, che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta, computando questo servizio colla dimora, che avrebbe dovuta fare in qualche Seminario, o Convitto Ecclesiastico.

omnium haud terverint.

III. Che volendo qualche Giovane condursi in una pubblica Università, o in altro luogo, ad effetto di applicarsi ivi alle Scuole, ed agli Studj, possa farlo, ed il tempo, che ivi dimorerà, possa servirgli di requisito, affine di prendere la Prima Tonsura, come se stasse in un Convitto Ecclesiastico; purchè però lo faccia colla permissione del proprio Vescovo, e colle Lettere commendatizie del medesimo, si presenti al Vescovo del luogo, e colla direzione di questo si faccia assegnare al servizio di qualche Chiesa, portando l' abito Chiericale e prestando ivi per un triennio, o almeno per la maggior parte di ciascuno de' tre Anni, come sopra, il medesimo servizio alla Chiesa assegnatagli, che presterebbe dimorando nella propria Diocesi; con espressa condizione, che volendo essere iniziato alla Prima Tonsura, debba ottenere le Lettere Testimoniali del Vescovo, dove ha dimorato, *de vita, et moribus*, a d'aver esattamente adempito a quanto gli è stato prescritto, ed in vista di questi attestati possa esser promosso.

Studia in aliqua Universitate, loco triennalis habitationis in convictu Ecclesiastico, de Ordinarii tamen licentia, et sub nonnullis praescriptionibus admittuntur.

IV. Dal quale obbligo e regole sopra enunciate si dovranno eccettuare gli *Artati*, cioè quelli, che in virtù della fondazione sono chiamati a qualche Benefizio, o Cappellania Ecclesiastica vacante, i quali potranno quindi esser promossi alla Prima Tonsura, ancorchè non abbiano i requisiti di sopra espressi; e non solamente nel caso, in cui si tratti di Benefizio o Cappellania veramente Ecclesiastica, cioè fondata coll' autorità della Santa Sede, o dell' Ordinario prima del Sagro Concilio di Trento, ma nel caso ancora di simili Benefizj, o Cappellanie fondate dopo il medesimo Concilio, ed eziandio nel caso di Cappellanie meramente Laicali, purchè siano perpetue.

Excluduntur a superioribus sanctimibus tonsurandi potentes passivo Patronatu ad aliquod Ecclesiasticum Beneficium.

V. Quelli poi, che non avendo alcun diritto passivo, verranno presentati da qualche Patrono ad un Benefizio, o Cappellania vacante, dovranno altresì eccettuarli dalle anzidette regole; ma solamente ove si tratti di vero Benefizio, o Cappellania perpetua, fondata con autorità Ecclesiastica, della

Itemque qui ad Beneficia perpetua a Patronis nominantur.

quale debba investirsi il presentato per via d' Istituzione Ecclesiastica, e nel caso, che il Patrono non possa differire, oltre al tempo stabilito dai Sagri canoni, la nomina, e la presentazione al medesimo Benefizio.

Vel qui a Dataria Apostolica, vel ab Ordinariis de Pensione, vel Beneficio providentur sub spe, et conditione Clericatus.

VI. Finalmente dovranno esentarsi dalle regole prescritte, ancora quelli, che riporteranno o dalla Dataria Apostolica, o dagli Ordinarij, *sub spe, et conditione Clericatus*, qualche Pensione Ecclesiastica, oppure qualche Benefizio, o Cappellania vacante, che debbano provedersi *titulo collativo*, e non altrimenti: Avvertendo in fine, che niuno di questi, come ancora niuno dei sopra espressi Artati s' intenderà eccezzuato dalle regole generalmente prescritte per i promovendi alla Tonsura, sempre che le rendite delle Pensioni, o pure Benefizj, e Cappellanie, alle quali o avranno diritto passivo, o saranno presentati, o rispettivamente verranno lor conferite, non costituiranno (detratti i pesi) la metà almeno di quello, che importa la Tassa del Patrimonio Sagro stabilita nella Diocesi del promovendo.

Quoties plures ad unum Beneficium concurrant, satis sint Ordinarii Testimoniales ad primam Tonsuram consequendam post ipsius Beneficii collationem.

VII. E come talvolta accade, che essendo molti i chiamati all' istesso Benefizio, o Cappellania Ecclesiastica, sono gli Ordinarij costretti a conferire a tutti la Prima Tonsura, affine di renderli capaci del Benefizio, o Cappellania, d' onde ne siegue l' inutile moltiplicazione de Chierici, per non potersi conferire che ad un solo il Benefizio, o Cappellania; Perciò d' ora innanzi in simili casi basti, che presentandosi nel tempo congruo coloro, i quali pretendono aver diritto al controverso Benefizio, o Cappellania, e ritrovandosi, che siano idonei, così *quoad scientiam*, che *quoad bonos mores*, e che non abbiano impedimento Canonico per-esser promossi alla prima Tonsura, l' Ordinario spedisca loro le Lettere Testimoniali sopra la detta idoneità, e di non avere impedimento veruno, in virtù delle quali possano essi istituire la loro pretenzione, e proseguire la causa avanti il Giudice Ecclesiastico, anche in concorso dei Chierici pretendenti, appunto come se avessero già avuta la prima Tonsura, la quale possa di poi conferirsi a colui, che terminata la Causa avesse ottenuto il Benefizio, o Cappellania, riputandolo a tale effetto *Artato*, e facendogli godere quei Privilegj, che ai medesimi di sopra sono stati conceduti.

In prima Tonsura Ordinarii

VIII. Che dopo di essere stati co-

ordinati alla Prima Tonsura, debbano tutti i Chierici, compresi anche gli Artati, seriamente applicarsi così allo studio, come alle opere di Pietà, per rendersi degni di ascendere nell' età legittima ai Sagri Ordini: al quale effetto debbano continuare a dimorare in qualche Seminario, o Convitto Ecclesiastico, e non potendo ciò fare, debbano almeno prestare per ogni anno, o per la maggior parte di esso, come sopra, nella Chiesa assegnata loro dall' Ordinario, quel servizio, che dal medesimo verrà loro prescritto; o pure dimorando in qualche Università, o altro luogo per proseguire le Scuole, e gli Studj, debbano adempiere le medesime cose di sopra ordinate per coloro, che debbono essere iniziati alla Prima Tonsura.

IX. Che tutti i Chierici, così di prima Tonsura, che di Ordini Minori, debbano far costare nel principio di ogni anno avanti gli Ordinarij de luoghi, nei quali hanno il domicilio, di avere osservati i requisiti del Sacro Concilio di Trento intorno all' abito, e Tonsura Chiericale, ed intorno a tutte le altre cose stabilite di sopra, e così mediante l' attestazione del proprio Rettore, e Superiore del Seminario, o Convitto Ecclesiastico per quelli, che vi hanno dimorato, e per gli altri mediante l' attestazione dei Parrochi, e Rettori delle Chiese, alle quali sono ascritti, intorno alla delazione dell' abito, e Tonsura Chiericale, frequenza de Sacramenti, e servizio della Chiesa, e colle attestazioni de' Maestri, e Lettori intorno alla continuazione delle Scuole, e de' Studj: Quali attestazioni debbano farsi *gratis* da tutti i soprannominati.

X. Che gli stessi Ordinarij debbano tenere pubblicamente appesa nella Sagrestia della loro Cattedrale una tabella, in cui dopo avere riconosciuta la sussistenza delle dette attestazioni, le quali debbano rimanere nella loro Cancelleria, facciano scancellare dalla medesima ogni anno i nomi di coloro, che non avranno esattamente osservati i requisiti predetti, ed all' incontro facciano registrare i nomi solamente di quelli, che li avranno osservati, ai quali consegneranno ogni anno *gratis* una Declaratoria in iscritto, acciocchè possa dai medesimi senza alcun contrasto godersi di tutti i Privilegj Chiericali, de quali Privilegj all' incontro non godranno quei Chierici di Prima Tonsura, o di Ordini Minori, che per non avere osservati i suddetti requisiti sa-

Ecclesiasticum convictum, vel saltem Ecclesia servitium prosequantur, ut possint ad alios Sacros Ordines ascendere.

Omnes in minoribus Ordinibus constituti, locuantur quotannis proprio Ordinario testimoniales exhibere de impletis Tridentini Concilii praeceptis, quoad habitum, tonsuram, mores, et studia.

Locorum Ordinarii in Ecclesia Cathedrali Sacario errent, ut quotannis affigatur Syllabus Clericorum, qui praescriptas in superiori articulo Testimoniales exhibere, ut si tantummodo Clericorum privilegii perfrui videant.

ranno stati scancellati dalla sudetta tabella, da tenersi pubblicamente nella Sagrestia, e non avranno la menzionata declaratoria dell' Ordinario.

Nequeant Vicarij Capitulares, absque Capituli voto Dimissoriales Literas tradere pro ordinandis Laicis ad Beneficia presentatis; quoad alios vero Ordinandos, absque Licentia Sacrae Congreg. Concilii.

XI. Che i Vicarij Capitolari non possano d' ora innanzi, senza il voto del pieno Capitolo da darsi nel luogo solito Capitolare, per maggioranza di voti segreti, da calcolarsi secondo il costume di ciascun Capitolo, e da registrarsi negli atti Capitolari, concedere le Lettere Dimissoriali ai Laici, benchè siano Artati da Benefizio, o da Cappellania, nel modo spiegato di sopra, o pure a coloro, che avendo già la Prima Tonsura, sono presentati a qualche Benefizio, o Cappellania, che *actu requirat certum ordinem*; e coll'espressa condizione che si nell' uno, che nell' altro caso, colui, che chiede di esser promosso, non sia stato altre volte rigettato dal Vescovo autecessore *quod mores*. Ma ove si tratti di Persone, che non sono Artate, nel modo sopra accennato, non possano concedere Lettere Dimissoriali neppure *post annum Luctus Ecclesiae*, senza un' espressa licenza della Sagra Congregazione del Concilio.

Suspensio indicitur contra quoscumque Ordinatos, non servatis regulis supra relatis.

XII. Incaricandone pertanto Noi strettamente la coscienza de' Vescovi, e di tutti gli altri Ordinarij inferiori di non ordinare, o di non concedere rispettivamente le Dimissorie a veruno, contro la forma di quanto vien prescritto nel presente regolamento, ed Istruzione; E ciò nonostante chiunque fosse promosso alla prima Tonsura, agli Ordini Minori, o agli Ordini Sagri contro le presenti disposizioni, resterà perpetuamente sospeso dall' esercizio dell' Ordine illegittimamente conferitogli.

Clericis Conjugatis indiget privilegium Fori in Causis criminalibus criminaliter tractatis, in civilibus vero ad solum effectum personalis executionis, requirendus Ecclesiastici Judicis assensus.

XIII. I Chierici Conjugati dovranno godere il Privilegio del Foro in tutte le Cause, che sono puramente criminali, e che vengono criminalmente trattate; Ma non dovranno godere rispetto alle Cause criminali, che riguardano l' interesse delle parti, e si trattano in forma di Giudizio civile; tanto che, non meno per queste, che per tutte le Cause civili, dovranno esser soggetti alla cognizione, e determinazione de' Giudici Laici, dai quali si potrà procedere contro i medesimi all' esecuzione reale *super Bonis*, e se per mancanza di Beni fosse necessaria l' *Esecuzione personale*, allora dai Tribunali, e Giudici Laici, se ne dovrà domandare prima la licenza al Giudice Ecclesiastico, dal quale non dovrà esser negata.

Fori privilegium tantum Clericis conjugati

XIV. Del sopra espresso Privilegio del Foro godranno però quei Chie-

rici Conjugati, che osserveranno i requisiti prescritti dal Sagro Concilio di Trento *Cap. 6 Sess. 23 de Reformatione* intorno al servizio della Chiesa, alla pubblica, e continua delazione dell' abito, e Tonsura, e che non eserciteranno arti indecenti allo stato Chiericale, o negoziazioni, o traffichi illeciti, contro la forma de' Sagri Canon. E affinché i medesimi Chierici Conjugati godano senza alcuna contrasto delle Curie Laicali de' Privilegi sudetti, dovrà tenersi appesa una tabella anche dei loro nomi nella Sagrestia delle rispettive Cathedrali, nella maniera che si è detto nell' Articolo X. parlando dei Chierici celibi, dalla quale dovranno poi cancellarsi di tempo in tempo quelli, che non avranno giustificato ogni anno avanti l' Ordinario del luogo, in cui hanno il domicilio, di aver pienamente osservati gli accennati requisiti, e riportarne dallo stesso Ordinario una declaratoria in iscritto, da concedersi *gratis*.

Universi in Sardinia Regno Ordinarii, mandatum publicare jubentur super incensu et qualitate habitus Clericalis, ad cuius Mandati renovationem singuli successores teneantur.

XV. E perchè questo regolamento abbia il dovuto effetto, s' incaricano gli Arcivescovi, o Vescovi di pubblicare nelle loro rispettive Diocesi un Editto, ossia Mandamento uniforme, con cui venga prescritta la forma specifica dell' abito, che dovranno portare nella guisa, che altre volte è stato fatto su questo proposito, e specialmente nel Mille settecento ventisette, in coerenza di una Lettera Circolare della Sagra Congregazione dell' Immunità Ecclesiastica del 1671, ed in esecuzione dell' Ordine della Santa Memoria di Benedetto XIII. partecipata con Lettera di Segreteria di Stato nel 1725, nel qual Editto sia ai detti Chierici Conjugati intimata la precisa osservanza di questo regolamento, colla comminazione di dichiararli decaduti da qualunque Privilegio nel caso d' inadempimento a qualsivoglia de' requisiti sudetti: E dello stesso Editto, ossia Mandamento dovrà rinnovarsi la pubblicazione da ogni Successore *pro tempore* ne Vescovadi di quel Regno.

XVI. Non dovranno però in alcuna maniera godere de' riferiti Privilegi del Foro, e di qualunque esenzione le mogli, e figli de' medesimi Chierici Conjugati, *nec durante, nec soluto Matrimonio*, e molto meno la loro Famiglia, o Servi di qualunque specie, a neppure i Servi, o Lavoratori, nominati *Mossi d' Accordio* dei veri Ecclesiastici, i quali sono meri salariati, e mercenarij, a riserva però della

Nullo Fori privilegio juri possunt curati ex familia Clerici conjugati, illo cumque inservientes.

Famiglia dei Vescovi, della quale si parlerà nell' Articolo XXI.

XVII. Ed' essendo passati al punto dell' Immunità personale, ad effetto di riparare al disordine della molteplicità delle Patenti, colle quali i meri Laici presumono o di sottrarsi, o di eludere la giurisdizione del Principe, e per provvedere all' incontro, che non manchino alle Curie Ecclesiastiche quei Ministri, che sono precisamente necessarij alla buona amministrazione della Giustizia, potranno, a misura della maggiore, o minore vastità delle Loro Diocesi, i Vescovi, o altri Ordinarij, che hanno giurisdizione quasi Vescovile, ritenere nelle Città, e Luoghi, dove risiedono le loro Curie, dieci Cursori denominati *Varj*, gli Arcivescovi otto, e otto i Vescovi e altri Coadjuvarj, e uno, o due in quei Luoghi delle Diocesi unite, dove risiedono, e dove passassero di stabilire i Vicarij Generali.

XVIII. Ai mentovati Cursori, o Vari, sarà lecito per il tempo, che realmente esercitano il loro impiego in servizio del Foro Ecclesiastico, di portare armi, che non siano proibite dalle Regie Prammatiche: E per evitare ogni contrasto coi Tribunali Laici, dovranno, dopo essere stati destinati all' impiego, esibire in Cagliari al Reggente della Real Cancellaria, in Sassari all' Assessore Civile della Real Governazione, e negli altri Luoghi delle Diocesi rispettivamente, ai Vegheri, o altro Giudice Regio, l' autentico documento di non trovarsi inquisiti, e dare inoltre ai medesimi la notizia della Patente di Corsore ottenuta dal Vescovo, o da altro inferiore Ordinario, alle di cui Curie dovranno servire.

XIX. Questi Cursori, ossia Vari, così destinati godranno, durante l'esercizio del loro impiego, l'esenzione dal Foro Laico restrittivamente alla loro sola Persona, per le Cause civili, miste, e criminali, a riserva però che in quelle, nelle quali entri la pena della morte, o anche la pena della Galera rispetto agli Omicidj, Abigeati, Furti qualificati, attesa la frequenza di queste tre specie di delitti; nelle quali cause, e delitti rispettivamente i Giudici, e Ministri Regj potranno procedere contro di essi, come più piacerà a S. M.: Ma non così le Corti Baronali, alle quali sarà solamente permesso di arrestarli per i sudetti delitti, e causa, all' effetto di darne parte al Giudice, e Ministro Regio, che dovrà procedere.

XX. Rispetto agli Assessori, Av-

vocati Fiscali, Segretarij, altri Uffiziali, ed altre persone destinate per Amministratori, e Procuratori delle Chiese, e Cause Pie, e simili Patentati, dovranno i Vescovi servirsi in avvenire per tali impieghi, ed Ufficj, di Persone Ecclesiastiche; e quando volessero servirsi di Persone Laiche, ninno degl' Impiegati, o Patentati sudetti dovrà godere di alcuna prerogativa, o Privilegio del Foro Ecclesiastico, eccettuato però il Cancelliere, ossia Mestro d'atti delle loro Curie, il quale solamente dovrà godere dei Privilegj, che ha goduto sin' ora rispetto alla sua Persona solamente.

XXI. In somma, che a riserva de' soli veri Chierici, i quali hanno i requisiti prescritti dai Sagri Canoni, e delle Persone Religiose dell' uno, e dell' altro sesso, che vestendo l' abito Religioso, vivono collegialmente sotto la disciplina, ed ubbidienza di legittimi Superiori; o pure che da medesimi si trovano destinati agl' impieghi necessarij fuori de' Monasterj; e delle Terziarie, che professano questo stato, colla Licenza dell' Ordinario, in conformità della Bolla della Santa Memoria di Leone X., quali tutti dovranno godere il privilegio del Foro; ed altresì a riserva de' Chierici Conjugati, che osserveranno i requisiti come sopra, del Cancelliere, ossia Mastro d'atti addetto al servizio delle Curie Ecclesiastiche, e de' Cursori, ossia Vari; ed anche della Famiglia dei Vescovi, cioè di quelli, che presso ai medesimi prestano l'attuale, e continuo loro servizio, ai quali tutti si farà godere il Privilegio del Foro, nella maniera rispettivamente spiegata di sopra; niun'altra Persona Laica sotto qualsivoglia titolo, e specie d' ufficio, e d' impiego de' Luoghi, e Cause Pie, ed in qualsivoglia altro modo patentata dai Vescovi, e dalle Curie Ecclesiastiche, potrà godere di detto Privilegio; come pure i Romiti, e i Terziarij chiamati *Donadi*, Sagrestani Minori, volgarmente detti *Monasigli*, o altre simili Persone, non godranno, ne potranno godere d' alcun Privilegio del Foro, o di verun'altra esenzione.

XXII. Dovendo, per quanto si è detto, le Persone Ecclesiastiche godere una piena esenzione dal Foro Laico, non potranno in conseguenza essere arrestate, o carcerate dalla Podestà Secolare, neppure nel caso, che commettessero qualche contrabando, o fran-

Curiarum Officialiales, Ecclesiasticas seligant personas, alias nullo fori privilegio polleant Laici talia obtinentes, excepto Cancellario, cui personale tantummodo privilegium conseruatur.

Recensentur speciales personae quibus privilegium fori indulgetur, ceteris omnino exclusis.

Præfinitur Apparitorum numerus, in quacunque Ordinarij residentia ad effectum personalis immunitatis.

Ordinariorum Apparitoribus facultas tribuitur, pro gestandis armis, peculiavesque in id regulè traduntur.

Fori exemptio qua donantur dicti Apparitores, respicit tantummodo causas civiles, vel criminales minores.

Ordinarij in respectivatum

Peculiares regulæ traduntur pro perquisitionibus in Ecclesiasticis locis peragendis, exceptis Monialium Monasteriis, cæterisque Mulierum Conseruatoriis.

affinchè non siano defraudati i diritti del Principe, ed abbia il dovuto suo corso la Giustizia, si dichiara, che quando dovrà farsi qualche perquisizione, o in Chiesa, o in altro luogo Immune, di cosa rubata, o di contrabando, o di scrittura, o di denaro, o robe occultate dai contumaci, o che in qualche altra maniera possono appartenere al Fisco, dovranno i Ministri de' Tribunali Laici (senza però essere tenuti a manifestare il luogo preciso, e l'individuo) chiederne la licenza ai Superiori Ecclesiastici, la quale dovrà accordarsi in Città dal Vescovo, e negli altri luoghi della Diocesi dai Vicarij Foranei, ed in loro mancanza dalla persona più degna, che fa figura di Superiore Ecclesiastico, eccettuati però i Monasteri di Monache, e Conservatorj di Donne: ottenuta la licenza, si farà la perquisizione coll' intervento di persona Ecclesiastica, e ritrovandosi contrabando, roba rubata, o qualunque altra roba, o cosa delle sopradette, premessa dalla medesima persona Ecclesiastica la protesta da farsi a tenore del *Cap. Prælati de Homicidiis in 6.*, si estrarrà, e si consegnerà alla Curia Laicale. Anzichè chiedendosi dalla medesima la licenza sudetta ai Superiori Ecclesiastici, quando le fosse negata, potrà in tal caso da se stessa pro-

cedere alla detta perquisizione, ed estrazione, senza timore d' incorrenza nelle Censure; a riserva però sempre de' Monasterj di Monache, e Conservatorj di Donne, i quali dovranno, come sopra, essere onninamente eccettuati.

Universis in Sardinia Ordinariis presentium Literarum et instructionum copiam transmittitur, et eandem demandatur observantia.

» XXIII. In ultimo trasmettiamo ai Vescovi, ed Ordinarij de Luoghi un' esemplare del Breve colla presente Istruzione, affinchè sia Loro di legge, e di regola, inculcandone ai medesimi l' esatta osservanza, per la quale restiamo assicurati, che anche S. M. il Rè di Sardegna, in seguito alle sudette intelligenze, impiegherà la Regia sua autorità, e darà le provvidenze le più efficaci ai suoi Magistrati, Ministri, ed Ufficiali, e ad' ogni altro, cui spettar debba di eseguire, osservare, e fare osservare la medesima Istruzione nelle parti, che li risguardano, come legge del Regno, non ostanti gli usi, stili, decreti, e ordini, che vi fossero, o che allegar si potessero in contrario.

Injungitur cunctis Ordinariis, quod ha-

§. 3. Ut autem præinserta Nostra Instructio suum sortiatur effectum, ac

debitæ exequutioni demandetur, Fraternitatibus Vestris, Fratres Archiepiscopi et Episcopi, ac discretionibus Vestris aliorum Locorum nullius Diocesis, si forsan existant, et jurisdictionem quasi Episcopalem in Territorio separato exercent, Ordinariis in dicto Regno existentibus, per præsentem injungimus, præcipimus, et mandamus, ut unusquisque Vestrum, in Vestris respective Civitatibus, ac quibusvis Terris, Locis, et Castris Diocesium, et respective jurisdictionis Territorii Separati, præinsertam Nostram Instructionem observet, ac in suis respective Cancellariis, ut ab omnibus legi semper, et quodcumque possit, reponi, custodiri, et observari debere mandet, et faciat.

scilicet literas diligenter servent ut pro earum observantia perlegi ab omnibus possint.

§. 4. Decernentes, easdem præsentem Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus; et Ordinationibus Apostolicis, ac quacumque respective Ecclesiarum in dicto Regno existentium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, Superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrarium derogatio.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo, Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, ubique locorum, et gen-

Transumptum fides.

tium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quarta Januarii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo primo, Pontificatus Nostri anno Tertio.

CLXXX.

Officium proprium, et Missa diei festi, et Octavæ Immaculatæ Conceptionis magnæ Matris Virginis extenduntur ad universas ditiones tunc Hispanienses, tum Indicas, Catholicæ Monarchiæ subjectas.

Electionem B. M. Virginis sub Immaculatæ suæ Conceptionis Mysteriorum in principalem, et universalem Patronam Ditionum omnium, tum Hispaniarum, tum Indiarum, subjectarum Serenissimo Regi Catholico, confirmavit Pontifex hic Const. sua Anni 1760 Sept. Idus. Novemb. relata hoc II. Tomo. sub Num. CLXVII.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam

Suam devotienem erga Deiparam Virginem, illiusque ampliandi cultus desiderium Pontifex exprimit.

§. 1. Cum primum Divina disponente voluntate, factum est, ut humilitas Nostra, turbulentis præsertim Christianæ Reipublicæ temporibus, ad universalis Ecclesiæ regimen extolleretur; jam inde ea excogitari, et agere assidue non destitimus, quæ ad promovendum, et propagandum inclytæ, et gloriosæ semper Virginis Mariæ cultum, inter fideles populos maxime conducere; ideo potissimum ut Nobis, et universæ Catholicæ Ecclesiæ, speciali pietate, Christi Filii sui Supremi Ecclesiæ capitis favorem, et gratiam conciliaret. Minora tamen quam Nostrum desiderium explorare possint, semper erunt reverentiæ, et venerationis signa, quæ in terris præbentur ad cumulandam, et adaugeandam gloriam hujus præ cæteris electæ Creaturæ, quæ quidem ex ore Altissimi prodiit, et in omni gente primatum tenuit. Proinde obortas libenti animo amplectimur occasiones, quibus nova ipsi honoris obsequia tribuantur; ac maxime lætamur, potentissimam Regem, qui in hac re, non ita pridem aperuit animum

suum, tam mirifice cum Nostro consentientem, rursus in præsens amplificationem aliam talis cultus, pro suis vastissimis Regnis, et Ditionibus exposcere.

§. 2. Nobis siquidem Regio nomine charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, dilectus Filius Emmanuel de Roda, dicti Caroli Regis Consiliarius, et modo apud Nos negociorum ejusdem Caroli Regis Minister, supplicem porrexit libellum, cujus tenor est = Beatissime Pater. Cum S. V. enixis Catholici Regis votis benigne annuens, Beatissimam Virginem Deiparam, in Sacrosanto ejusdem Immaculatæ Conceptionis Mysteriorum, Hispaniarum, Indiarumque Ditionum a Comitibus totius Nationis Hispanæ, in ipsius auspiciatissimo Regni exordio habitis, Patronam, et Advocatam specialem, comuni consensione nuncupatam, et delectam VI. Idus Novembris anni 1760. concesserit, et confirmaverit; simulque ejusdem venerandi Mysteriorum Festum sub ritu duplici primæ classis cum Octava, cæterisque prærogativis omnibus, hujusmodi Patronorum Festis competentibus, et a Sede Apostolica approbatis, ab universo Hispaniarum, Indiarumque Ditionum Clero Sæculari, et Regulari, quomodolibet etiam exempto, coli, et celebrari præceperit, atque mandaverit: Cumque inter prærogativas, quæ a S. Sede favore dictorum Patronorum indulgeri solent, primum quodammodo teneat locum, Officii proprii, ac Missæ in eorum honorem recitatio: idem Rex Catholicus, ut Apostolica S. V. concessio, ut supra jam facta, integrum jure merito sortiatur effectum; Officium quod incipit sicut *Lilium inter spinas*, et Missam cujus initium *Egredimini, et videte*, quibus Ordo Franciscanus utitur, ad præfatum Dominorum suorum Clerum extendi, et propagari summopere desiderat; idcirco Emanuel de Roda ejusdem Catholici Regis jussu, et nomine, Sanctitatem Vestram humilibus præcibus orat, ut prædictum Officium, et Missam, prout a Franciscanis recitantur, ac in eorum Breviario ac Missali a S. Sede approbatis continentur, universo Hispaniarum, et Indiarum Clero, tam Sæculari, quam Regulari, ac quomodolibet exempto, pro die Festo solemniori, ejusdem Immaculatæ Conceptionis, nec non pro

Preces porrectæ pro concessione Officii, et Missæ proprie diei Festo Immaculatæ Virginis Conceptionis pro Universis Hispanicis Regnis.

» ejus Octava, concedere, indulgere,
» et extendere, Apostolica sua auctori-
» tate dignetur. =

Officium pro-
prium, et Mis-
sam de Inacu-
lata Virginis
Conceptione
jam alias Or-
dini Minorum
S. Francisci
concessam, ad
Universas Hi-
spaniæ ditio-
nes extendit.

§. 3. Cum autem nos alias, liben-
ti quidem animo, adeo effusæ dicti
Caroli Regis, ac totius Hispanæ gen-
tis erga præclarum hoc Deiparæ Vir-
ginis Mysterium devotioni obsecundan-
tes, juxta priores Nostras Literas, ipsam
in prædicto Mysterio colendam univer-
salem Patronam, et Advocatam dicto-
rum Regnorum, et Dominiorum de-
claravimus; ejusque Mysterii Festum in
dictis Regnis, et Dominiis, per uni-
versum Clerum tam Sæcularem, quam
Regularem, et quomodolibet exem-
ptum, sub ritu duplici primæ Classis,
cum Octava celebrari præceperimus.
Modo prædictas Nobis additas præces,
velut recentiora illius eximie pietatis
argumenta excipientes, ac priorum Li-
terarum tenorem, cum omnibus, et
singulis in eis contentis, præsentibus
pro expresso habentes, novis hisce sup-
plicationibus, Pastoralis affectu Nostro
benigne inclinati, ipsarum tenore præ-
sentium in perpetuum concedimus, in-
dulgemus, ut recurrente annis singu-
lis, dicti Mysterii celebritate, in iisdem
Regnis, atque Dominiis, ac in singu-
lis illorum Civitatibus, Diocesis, Op-
pidis, Terris, et Locis, ac Territoriis
quibuscumque, etiam nullius Diocesis,
ab universo Clero præfato, ab om-
nibus videlicet, et singulis Sæcularibus,
et Regularibus utriusque sexus cujusvis
Ordinis, et Instituti, etiam quantum-
vis exemptis; qui Horas Canonicas diur-
nas, et nocturnas, sive privatim, sive
in quibusvis Ecclesiis collegialiter, et
cum cantu, recitare tenentur, ac te-
neantur, ac Sacrosantum Missæ sac-
rificium celebrabant, illud Officium
proprium, et Missa cum Octava reci-
tetur, quod, et quæ per dilectos Filios
Fratres Ordinis Minorum S. Francisci
de præsentis generaliter recitatur, ac in
eorum Breviario, et Missali a Sede Apo-
stolica approbatis continentur. Ad quo-
rum effectum, illius Officii, et Missæ
cum Octava recitationem, ad universum
Clerum præfatum, generaliter quoque
harum serie extendimus. Idemque Of-
ficium, et Missam hujusmodi, juxta
exemplaria dictorum Fratrum Mino-
rum, et non alias, etiam seorsim ab
aliis Breviariis, et Missalibus typis im-
primendi, opportunam licentiam, et fa-
cultatem concedimus, et impertimur.

Derogat con-
trariis:

§. 4. Non obstantibus quibuscumque
Apostolicis, ac in Universalibus, Pro-
vincialibus, et Synodalibus Conciliis edi-

tis, generalibus, vel specialibus Consti-
tutionibus, vel Ordinationibus, nec non
Ecclesiarum, et Locorum etiam jura-
mento, confirmatione Apostolica, vel
quavis firmitate alia roboratis statutis,
stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam
inmemorabilibus, privilegiis quoque, in-
dultis, et facultatibus sub quibuscum-
que verborum tenoribus, et formis, ac
cum quibusvis clausulis, et decretis,
etiam motu-proprio, seu scientia, et
potestatis plenitudine similibus, vel alias
in contrarium præmissorum, quomo-
dolibet concessis, confirmatis; et inno-
vatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam
si pro sufficienti illorum derogatione,
de illis, eorumque totis tenoribus, spe-
cialis, specifica, et individua, non au-
tem per clausulas generales idem im-
portantes mentio, seu quævis alia ex-
pressio habenda, aut alia exquisita for-
ma ad hoc servanda foret, tenores hu-
jusmodi, præsentibus, pro plenæ, et suf-
ficienter expressis habentes, illis alias
in suo robore permansuris, ad præmie-
sorum effectum, hac vice dumtaxat spe-
cialiter, et expresse derogamus.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum
liceat hanc paginam Nostrarum appro-
bationum, facultatum, impertitionis,
et voluntatum, infringere, seu eidem au-
su temerario contraire, si quis autem
hoc attentare præsumpserit, indignatio-
nem Omnipotentis Dei, et Beatorum
Petri, et Pauli Apostolorum ejus se no-
verit incursum. Datum Romæ apud
S. Mariam Majorem Anno Incarnationis
Dominicæ MDCCLXI. vi. Kalend. Febr.
Pontificatus Nostri Anno III.

Sanctiones pæ-
nales.

CLXXXI.

Dat. die 19. Jan.
1761. Ann. Ter-
tio.

Approbatio, et confirmatio omnium ge-
storum per tunc existentem Episco-
pum Mindonien in exequutione cu-
jusdam Brevis Clementis XII. super
translatione Missarum de uno ad aliud
Altare, pro Decano, et Capitulo Ec-
clesiæ Mindonien.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **A**lias emanarunt a fel. rec.
Clemente Papa XII. Prædecessore No-
stro, ad supplicationem tunc existentium
Capituli, et Canonicorum Cathedralis
Ecclesiæ Mindonien, quædam in simili
forma Brevis Literæ, tenoris sequentis

Referuntur
preces alias
porrectæ Cle-
menti XII. su-
per hac ipsa
Missarum trans-
latione, et
conmutatione.

videlicet = Venerabili Fratri Episcopo
 » Mindonien = Clemens Papa XII. =
 » Venerabilis Frater salutem ec. Ex-
 » poni Nobis nuper fecerunt dilecti fi-
 » lii, Capitulum, et Canonici istius Ca-
 » thedralis Ecclesie Mindonien, quod
 » in dicta Ecclesia, quamplures tam an-
 » tiquæ, ac etiam particulares funda-
 » tiones Missarum Cantatarum numero
 » trecentarum triginta duarum, quolibet
 » anno, ad Altare majus ejusdem Ec-
 » clesie, ultra Conventuales, et alias Ro-
 » gationum, Vigiliarum, feriarum, et
 » funeralium celebrandarum reperiu-
 » tur, ita ut duo Missæ Cantatæ, præ-
 » ter unam privatam, tempore Primæ,
 » quotidie in eodem Altari, celebrari
 » correspondeant, divinique Officii reci-
 » tatio, ob temporis angustiam, valde dif-
 » ficilis reddatur, attenta etiam ea Ma-
 » lutini temporis parte, quæ in con-
 » vocando Capitulo bis in hebdomada,
 » et per alias vices in anno, in haben-
 » dis concionibus ad Populum per dies
 » quinquaginta, in peragendis Proces-
 » sionibus, aliisque publicis Orationi-
 » bus, quas vocant *las Dominicales* ad-
 » ducentas, et ultra singulis annis ascen-
 » dentibus insumenda est. Cum autem
 » sicut eadem expositio subjungebat,
 » ad occurrendum huic incommodæ
 » Chori Officiaturæ, hoc mem: cogno-
 » minatus Munoz, et Salsedo, dum
 » vixit prædictæ Ecclesie Episcopus,
 » ejusmodi Missas Cantatas, a die xxx.
 » Septembris usque ad diem viii. Maii
 » subsequentis celebrandas, ad Cappel-
 » lam S. Ignatii, intra claustra ejusdem
 » Ecclesie sitam, cum assistentia qua-
 » tuor Canonorum, aliorumque Mi-
 » nistrorum, tempore recitationis, et can-
 » tationis horarum Primæ, et Tertie,
 » transtulerit, ac ita usque in præsens
 » recte observatum fuerit, ac Divinum
 » Officium debito cultu celebrari, de-
 » bitoque tempore terminari soleat, ipsi
 » vero exponentes, nedum translatio-
 » nem earundem Missarum cum can-
 » tu hactenus observatam, ut præfer-
 » tur, per Nos approbari, verum etiam
 » Indultum celebrari faciendi in dicta
 » Cappella Sancti Ignatii, per totum An-
 » num, tot Missas Cantatas antiquas,
 » quam alias, quæ ad dictum Altare
 » Majus celebrandæ supervenerunt, con-
 » cedi plurimum desiderent, Tuque om-
 » nia exposita confirmans, infrascriptæ
 » Congregationi Cardinalium retuleris,
 » ab annis quadraginta, et ultra, vige-
 » re observantiam celebrationis Missa-
 » rum hujusmodi cantatarum in præ-
 » dicta Cappella Sancti Ignatii, ex per-

Bull. Rom. Tom. II.

» missione dicti Episcopi Munoz, ita
 » Episcopis illi Successoribus, Teque ap-
 » probantibus, ob majorem cultum, et
 » decentiam in celebratione Officii Di-
 » vini, aliisque functionibus, ac pro-
 » pterea eosdem exponentes, nimis re-
 » sistentiæ onere gravatos esse, respectu
 » multarum Cathedralium Regni Hispa-
 » niarum, certos majores fructus, minus-
 » que servitium habentium, ubi iidem
 » exponentes singulis horis Canonicis
 » (tribus exceptis recreationis Mensi-
 » bus) Choro interesse teneantur, sub
 » rigorosa punctatura, seu quotidiana-
 » rum distributionum, quibus annui
 » fructus omnium Capitularium constant,
 » jactura. Nobis propterea humiliter sup-
 » plicari fecerunt, ut sibi in præmissis,
 » opportune providere, et ut infra in-
 » dulgere, de benignitate Apostolica di-
 » gnaremur. Nos igitur, ipsos exponen-
 » tes, specialibus gratiis, et favoribus
 » prosequi volentes, et a quibusvis ex-
 » communicationis, et interdicti, aliis-
 » que Ecclesiasticis censuris, senten-
 » tiis, et pœnis quovis modo, et qua-
 » cumque de causa latis, si quas for-
 » te incurrerunt, hujus tantum rei gra-
 » tia, absolventes, et absolutum fore
 » censentes, hujusmodi supplicationibus
 » inclinati, de Venerabilium Fratrum
 » Nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii
 » Tridentini Interpretum, qui relatio-
 » nem Tuam, super præmissis, ad eos-
 » dem Cardinales transmissam, attea-
 » derunt, et votum dilecti filii Nostri
 » Ludovici ejusdem S.R.E. Cardinalis
 » Belluga nuncupati, ad hujusmodi ne-
 » gotium examinandum a Congregatio-
 » ne eorundem Cardinalium deputati,
 » perpenderunt consilio, Fraternitati Tuæ
 » per præsentem committimus, et man-
 » damus, ut veris existentibus narratis,
 » quoad præteritam translationem di-
 » ctarum Missarum cum cantu ad præ-
 » dictam Cappellam Sancti Ignatii, ut
 » supra observatam, auctoritate Nostra
 » Apostolica, pro Tuo arbitrio, et con-
 » scientia gratiis approbes, atque con-
 » valides, et quoad futurum, prædictas
 » Missas Cantatas, ad eandem Cappel-
 » lam, per totum anni cursum, exce-
 » ptis tamen Missis Conventualibus, ac
 » diebus Vigiliarum, quadragesimæ,
 » et quatuor temporum, in quibus oc-
 » currat festivitas duplex, vel semidu-
 » plex, quando præceptivæ tunc sunt,
 » celebrandæ ad Altare majus, dicta
 » auctoritate, transferas; salva tamen
 » semper in præmissis auctoritate me-
 » moratæ Congregationis Cardinalium.
 » Non obstantibus præmissis, ac Con-

H

stitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, Superioribus, et personis sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in specie, vel in genere, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores, præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Augusti Millesimo Septingentesimo trigesimo tertio, Pontificatus Nostri anno quarto.

Exponuntur
binæ reticenti-
m, quæ in
precedentium
Literarum con-
cessione locum
habuere, et san-
ctio ejuscum-
que nullitatis
postulatur.

§. 2. Quoniam autem dilecti filii, moderni Decanus, et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ hujusmodi, Nobis nuper exponi fecerunt, quod duo reticita fuerunt in præinsertarum Literarum impetratione. Primum nempe, quod ut plurimum, simul cum dictis Missis, aut diebus illas antecedentibus, nocturna, Vespereve defunctorum decantari debeant. Secundum vero, quod non omnes dictæ Missæ, Nocturna, Vespereve ad Altare Majus essent celebrandæ; quum aliquæ, numero tamen pauca, ad certa Altaria a benefactoribus designata, in eadem Ecclesia erecta, celebrandæ sint, imo una ex ipsis ad quoddam Altare, privilegio pro animabus Purgatorii decoratum, celebrari debeat; quod ad primum attinet defectum, tunc existens Episcopus Mindonien, cui præinsertæ Litteræ pro illarum executione datæ fuerunt, ad dictam claustralem Cappellam, nedum Missas, sed etiam Nocturna, et Vesperas transtulit, motus ea ratione, quia cum ex his oneribus, quælibet respectiva conflatur fundatio, ex concessa translatione Missæ, quæ est pars nobilior, tacite concessa quoque videretur translatio Nocturnorum, et Vesperarum, quæ simul cum Missis, ab inde citra, in claustro decantantur. Decreta quoque fuit ab eodem Episcopo exequutore memoratarum Lite-

rarum, translatio Missarum, et Nocturnorum, aut Vesperarum; certis Altaribus a benefactoribus addictarum, sed hujusmodi translatio suum minime habuit effectum, quæ omnia suis Literis contestatur Venerabilis Frater modernus Episcopus Mindonien; dicti vero exponentes, ut tuta conscientia in posterum procedere possint, ob eandem causarum tunc expositarum subsistentiam, translationem Nocturnorum, et Vesperarum ad dictam claustralem Cappellam, a memorato tunc existente Episcopo Mindonien præinsertarum Literarum Exequutore, tunc peractam, et huc usque observatam, per Nos confirmari, aut quatenus opus sit, sanari, et sicuti dicto numero tercentum triginta duarum Missarum, tunc expresse comprehensæ quoque fuerunt æ Missæ; quæ juxta benefactorum dispositiones, ad certa, et determinata ejusdem Ecclesiæ Altaria celebrandæ veniunt, ita hæc quoque simul cum suis Nocturnis, aut Vesperis pariter per Nos transferri, et pro ea Missa, cujus benefactor Altare privilegiatum exquisivit, indulto Altaris privilegiati, dictam claustralem Cappellam ditari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis, opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, alisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta attestatione dicti moderni Episcopi Mindonien, auditaque relatione dilecti filii Magistri Josephi Simonetti, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregationis Secretarii, translationem supradictorum Nocturnorum, et Vesperarum, ut præfertur, a tunc existente Episcopo Mindonien factam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et respective confirmamus juxta petita, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper intervenerint supplemus, et sanamus, præter quamquod Missas, Nocturna, et Vesperas decantandas in Altaribus designatis de jure patronatus piorum benefactorum, et quoad prædi-

Nullitates in
precedentibus
Literis occur-
sæ, sive in illo-
rum posteriori
executione
sanciantur, et fa-
ctarum trans-
lationum ob-
servantia de-
mandatur.

cta onera relicta in aliis ejusdem Ecclesiæ Altaribus, non spectantibus ad dictos benefactores, accedente consensu illorum hæredum, eisdemque Decano et Capitulo, dicta auctoritate, concedimus, ut Missa, quam dictus benefactor ad Altare privilegiatum celebrandam voluit, quæ ad Altare claustralis Cappellæ hujusmodi quodcumque pro tempore celebrabitur, anima pro qua celebrata fuerit, perinde suffragetur, ac si ad Altare privilegiatum celebrata fuisset.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentibus Literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari; et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstante quorumcumque piorum testatorum, ac benefactorum, etiam ultima voluntate, ac dispositione, quam, quoad præmissa dumtaxat, specialiter, sufficienter, et expresse derogamus, ac quatenus opus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, nec non omnibus, et singulis, illis quæ idem Clemens Prædecessor in præinsertis suis Literis, voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xix. Januarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXXII.

Dat. die 22. Jan. 1761. Ann. III.

Facultates speciales tribuuntur, Abbati Generali totius Ordinis S. Basilii Magni, pro Visitatione Provinciarum Hispaniarum.

Modum eligendi Abbatem Generalem, et Procuratorem Generalem hujus Ordinis, præscripsit Pontifex hic, Constit. edit. Ann. 1759. Jan. 10. relat. in Tom. I. sub. Num. XXVIII.

Clemens Papa XIII.

Dilecte Fili salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. **I**n specula supremæ Dignitatis, Divina dispositione, meritis licet insufficientibus constituti, inter multiplices rerum, negotiorumque, quibus obruimur curas, ad eas etiam ex debito Pastoralis Officii Nobis commissi, sollicite advigilare debemus, per quæ Religiosa loca, illorumque personæ, Divinis mancipatæ obsequiis, in pacis, et quietis tranquillitate, ac Regularis vitæ, et Ecclesiasticæ Disciplinæ norma, coadjuvante Domino, perenniter conservari valeant, et quæ his contraria esse noscuntur, per Nostræ providentiæ, auctoritatisque Apostolicæ studium, penitus evellantur, prout personarum, rerum, et locorum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, Tu, qui Abbas Generalis Monachorum Ordinis S. Basilii Magni existis, absoluta jam Provinciarum Italicarum dicti Ordinis visitatione, celebratisque in illis Capitulis Provincialibus, omnes Provincias Hispanicæ ipsius Ordinis, benedicente Domino, quantocius visitare, in eisque quoque Capitula Provincialia habere, ac in hujusmodi Provinciis, et illorum respective Monasteriis, veram, et bene ordinatam methodum, concordando Constitutiones Ordinis, et Provinciarum hujusmodi, una cum Constitutionibus Apostolicis deinceps editis, constituere intendas, jamque ad id carissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici beneplacitum, et facultatem obtinueris; Nos, ut hujusmodi visitationis munus, ad Dei gloriam, et ejusdem Ordinis propagationem feliciter adimplere valeas, Teque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis

Enumerantur facultates Abbati Generali indultæ, pro Hispaniarum Provinciarum Visitatione.

excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plænitudine, Tibi, de cujus fide, prudentia, doctrina, dexterritate, charitate, integritate, vigilantia, et Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, præter, et ultra eas, per Constitutiones dicti Ordinis, auctoritate Apostolica confirmatas, tibi attributas, et competentes facultates, ut etiam tamquam Commissarius, et Visitator Apostolicus, omnes, et singulas, etiam Reformatas Proviicias dicti Ordinis in Regnis Hispaniarum existentes, illarumque Domos, Conventus, et Monasteria quæcumque, tam Virorum, quam Mulierum, sub gubernio dicti Ordinis consistentium, tam in capite, quam in membris visitare, ac in eorum singulorum vitam, mores, instituta, regulas, et statuta diligenter inquirere, ac tam in capite, quam in membris prædictis, quacumque mutatione, et reformatione, dispensatione, correctione, revocatione, et renovatione indigere cognoveris, mutare, reformare, dispensare, corrigere, revocare, et renovare, ac Statuta quæcumque, seu Constitutiones, pro hujusmodi reformatione necessaria, et opportuna, dummodo Sacri Concilii Tridentini Decretis, et Sacris Canonibus, et ejusdem Ordinis Regularibus Institutis sint conformes, condere, et observari mandare; antiquas vero, per quoscumque in eisdem Provinciis conditas Constitutiones, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, mature considerare, easque si præfati Ordinis Regulis, et Institutis contrarias, et præjudiciales esse repereris, cassare, et annullare, ac alia omnia, et singula, quæ prædicta reformatione necessaria fore judicaveris, prædicti Ordinis Regularibus Institutis inhærendo, statuere, condere, et ordinare, ac facere, et exequi, libere, et licite possis, et valeas, aliaque statuas, atque decernas, quæ pro majori Divini Cultus augmento, et Disciplinæ Regularis propagatione, et observantia, magis expedire in Domino judicaveris, tenore præsentium concedimus, ac tribuimus facultatem.

Jus tribuitur
Abbati Gene-
rali in casum

§. 3. Ac insuper motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, tibi,

ut in omnibus, et singulis Capitulis Provincialibus memoratarum Provincia- rum; uno, vel diverso tempore celebra- tionem ad Tui libitum prorogare, et postponere, aliaque ad id necessaria pro Tuo arbitrio providere; In eisdem etiam Capitulis, quando necessitas, et bonum earundem Provinciarum regi- men, sive utilitas id exegerit, si par- tes inter se dissentientes fuerint, adhi- bitis prius omnibus diligentis, ut par- tes prædictæ componantur, ut solus, jux- ta datam tibi a Domino prudentiam, Provinciales, Diffinitores omnes, et Ab- bates, aliosque Officiales, qui in Capi- tulo Provinciali eligendi veniunt, alios- que Provinciarum prædictarum Profes- sores, necessariis qualitatibus, et requi- sitis, juxta earundem Provinciarum in- stituta, in Abbates de gubernio, super quo conscientiam Tuam stricte onera- mus, ad tempus solitum, cum omnibus, et singulis facultatibus, auctoritatibus, privilegiis, prærogativis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis eligere, deputare, et nominare; Nec non in qui- busvis Monasteriis, Provinciarum hujus- modi Abbates ad sexennium, ac etiam ultra sexennium, arbitrio Tuo duraturos, si id expediens Tibi visum fuerit, aut necessitas, tum spiritualium, tum tem- poralium id exegerit, nominare, eli- gere, et deputare libere, et licite itidem valeas, ac necessariam, et oportunam Tibi facultatem, in Tui locum alium ejus- dem Ordinis, et dictarum Provincia- rum Professorem, similibus qualitatibus præditum, cum simili, vel limitata in præmissis facultate, subrogandi licen- tiam, tenore præsentium tribuimus iti- dem, concedimus, et impertimur.

§. 4. Mandantes propterea in vir- tute sanctæ obedientiæ, ac sub indigna- tionis Nostræ, ac privationis vocis acti- væ, et passivæ, ac officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœ- nis, omnibus et singulis memoratarum Provinciarum Superioribus, Abbatibus, Monachis, cæterisque personis, ut Ti- bi, seu alteri per Te eligendo Profes- sori prædicto, in omnibus præmissis, prompte pareant, et obediant, ac ob- sequantur, Tuæque, seu Personæ per Te, ut præfertur, deputandæ salubria monita, et mandata humiliter recipiant, et efficaciter, omni appellatione post- posita, ac sub excommunicationis læ- tæ sententiæ pœna, ipso facto incurrenda, si ad seculare Forum, per se, vel alium, directe, vel indirecte recurre-

dissentias, eli-
gendi Diffini-
tores, Abbates
et Officiales
alios, qui in
Capitulis Pro-
vincialibus eli-
gendi fuissent.

Cunctis hujus
Ordinis Reli-
giosis Viris,
obediencia ha-
rum Literarum
imperatur.

rint, omnino adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus usque ad satisfactionem, condignam inviolabiliter observari.

Derogatur
eunctis in con-
trarium facien-
sibus.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, Provinciarum, et illarum Monasteriorum, ac Domorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores, præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxii. Januarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 22. Jan.
1761. Ann. III.

CLXXXIII.

Confirmatur Constitutio diei 28. Augusti 1758 qua Pontifex hic, fructus Abbatiae B. M. Virginis de Rovito loci de Rosarno, tribuit pro substentatione Abbatum Generalium pro tempore Ordinis S. Basilii Magni cujuscumque Provinciae.

Litteræ Apostolicæ diei 28. Augusti 1758, quæ hic confirmantur relatæ a nobis superius sunt Tom. I. sub Num. VI. itemque eod. Tom. I. sub num. XXVIII. relatæ aliæ Litteræ, quibus præscribitur modus servandus in electione tum Abbatis Generalis, tum Procuratoris Generalis hujus Ordinis.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Urbanus VIII.
Abbatiam B. Vi-
de Rovito, loci
de Rosarno, pro
substentatione
Abbatis, et Pro-
curatoris Gene-
ralium, concessit.

§. 1. Alias pro parte dilecti filii Alexandri Aguado Abbatis Generalis Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni, Nobis expositum fuit, quod dudum felicis rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster, per quasdam suas sub Plumbo, quinto Idus Maii, anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. expeditas literas, ad

supplicationem tunc existentium Abbatibus, et Procuratoris Generalium dicti Ordinis, Monasterium, sive Abbatiam Beatæ Mariæ de Rovito nuncupatum loci de Rosarno Meliten Diocesis ejusdem Ordinis, illiusque mensam Abbatialem cum omnibus, et singulis illius Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, ac bonis, juribus, membris, et pertinentiis suis, eidem Ordini, pro illius, et Ordinis prædicti Abbatis Generalis tunc, et pro tempore existentis manutentione, et substentatione, sub certis modo, et forma tunc expressis concesserat, et alias prout in dictis ejusdem Urbani literis plenius continetur.

§. 2. Postmodum vero rec. me. Benedictus Papa XIV. Prædecessor etiam Noster, per quasdam suas in simili forma Brevis die vii. Februarii MDCCLXXXIV. super alternativa electionum Superiorum Generalium in Provinciis Italicis, et Hispanicis dicti Ordinis inde servanda, expeditas literas, inter cætera prescripserat, quod Provinciae Hispanicæ, sua Generalia Officia haberent, taxas pro manutentione Abbatis Generalis, prout Provinciae Italiae semper, et tunc earum Abbati Generali præstare, et subministrare tenerentur; Taxæ demum præscriptæ, nec non fructus, redditus, et proventus mensæ Abbatialis dicti Monasterii, seu Abbatiae de Rosarno, manutentioni illarum Abbati Generali assignati, eo casu, quo Abbas Generalis esset ex Provinciis Hispanicis, pro manutentione Assistentis, et Consultoris Generalium a Capitulo Generali eligendorum qui in Alma Urbe tunc sua, nunc Nostra remanere deberent, assignarentur, et quidquid superesset, vel pro manutentione studentium in Collegio Sancti Basilii de eadem Urbe juxta præscriptum per alias ejusdem Urbani Prædecessoris literas, vel pro Fabrica Ecclesiae dicti Collegii, vel pro sublevamine Monasteriorum dictarum respective Provinciarum Italicarum erogaretur, et applicaretur, relicta, et attributa facultate Capitulo Generali dicti Ordinis, tam circa taxas prædictas, aliaque dubia, quæ super dictarum literarum dispositione oriri possent, decernendi, et declarandi, et alias pro ut in dictis Benedicti Prædecessoris prædicti Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, fusius continetur. Et in eadem expositione subjuncto, quod in memorati Benedicti Prædecessoris literis prædictis, nulla facta fuerat mentio dictarum literarum

Præcedentes
Urbaniliteras,
Benedictus
XIV. Constit.
sua Anni 1744
immutavit, et
Abbatibus reddi-
tibus privavit
Abbatibus Gene-
ralibus, quos ex
Provincia His-
panica eligi
deinde cœnti-
gerit.

Urbani Prædecessoris prædicti, qui concesserat fructus, redditus, et proventus Mensæ Abbatialis Monasterii, seu Abbatiae de Rosarno, Abbati Generali pro tempore existenti dicti Ordinis, indiscriminatim pro sua sustentatione, et mantentione, non autem pro Abbate Generali Provinciarum Italicarum, prout ex supradictis verbis, in memoratis Benedicti Prædecessoris prædicti literis, expressum videtur. Taxæ demum a Provinciis Italiæ præscriptæ, nec non fructus, redditus, et proventus Mensæ Abbatialis Monasterii de Rosarno, mantentioni illarum Abbati Generali assignati, ex quibus nonnullæ contentiones, et lites ortæ erant, et vigeant, dictus vero Alexander Abbas Generalis ad illas omnino dirimendas, ac penitus evellendas, opportune in præmissis a Nobis provideri plurimum desiderabat.

Benedictinam constitutionem moderavit, et præcedentis reddituum erogationis observantiam mandavit Clemens XIII. Const. diei 28 Augusti 1758.

§. 3. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, per quasdam Nostras in pari itidem forma Brevis, die xxviii. Augusti expeditas literas, auditis prius dilecto filio Nostro Prospero S. R. E. Diacono Cardinali Columa de Sciarra nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, et Apostolicam Sedem Protectore, nec non dilecto itidem filio moderno ipsius Ordinis Procuratore Generali, non obstante, quod per memoratas Benedicti Prædecessoris literas, super alternativa hujusmodi expeditas, præscriptum esset inter cætera, ut taxæ a Provinciis Italiæ præscriptæ, nec non fructus, redditus, et proventus Mensæ Abbatialis Monasterii de Rosarno hujusmodi, mantentioni illarum Abbati Generali assignati, eo casu, quo Abbas Generalis esset ex Provinciis Hispanicis, pro mantentione Assistentis, et Consultoris a Capitulo Generali eligendorum, qui in eadem Urbe remanere debent, assignarentur, nihilominus attempta concessione dictæ Abbatiae, seu illius Mensæ Abbatialis fructuum, reddituum, et proventuum tunc, et pro tempore existenti Abbati Generali dicti Ordinis, ab Urbano Prædecessore prædicto indiscriminatim, non autem Abbati Generali Provinciarum Italicarum facta, ut præfertur, memoratas Benedicti Prædecessoris literas, hac in parte, auctoritate Apostolica, moderavimus, cassavimus, et irritavimus, et ad auferendas ambiguitates ortas, et quæ in posterum oriri poterant, dicta auctoritate perpetuo decrevimus, statuimus, declaravimus, voluimus, præcepimus, et mandavimus, ut tam dictus Alexander modernus, quam alii pro tempore

existentes ejusdem Ordinis Sancti Basilii Magni canonice electi Abbates Generales, a die eorum electionis in Abbates Generales computanda, omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus ejusdem Monasterii, seu Abbatiae de Rosarno, seu illius Mensæ Abbatialis, juxta dispositionem, et formam earundem Literarum memorati Urbani Prædecessoris, libere, et licite percipere, exigere, et lucrare possent, eisdem modo, et forma, quibus Abbates Generales memorati Ordinis, antequam prædictæ ipsius Benedicti Prædecessoris literæ, super præscripta alternativa hujusmodi emanassent, percipere, exigere, et lucrare consueverant.

§. 4. Et subinde Nos per alias Nostras itidem in simili forma Brevis die x. Januarii MDCCLIX. expeditas literas, tam quoddam Decretum a Congregatione prædicta Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositorum, quam alia Decreta, a dicto Prospero Cardinali Protectore, juxta resolutiones a nonnullorum Professorum dicti Ordinis, et illius Dieta Generali, ad perpendenda, examinandaque quædam orta, super hujusmodi alternativa, dubia, captas, edita, confirmavimus, et approbavimus, et alias prout in binis Nostris Literis prædictis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, fusius continetur.

§. 5. Quoniam autem dictus Alexander Abbas Generalis, Nobis nuper exponi fecit, quod non obstantibus dictis binis Nostris Literis, nonnulli sive Abbates, sive Monachi Provinciarum Italiæ, existimantes, quod præmissa omnia expressa, et contenta in binis Nostris Literis prædictis, cederent in detrimentum, et damnum earundem Provinciarum Italicarum, eaque de causa dictis Nostris Literis sese opposuerunt, et ab iisdem reclamarunt; post vero multas, variasque dissentiones, oppositiones, et contradictiones, negotium hujusmodi delatum fuit ad Capitula Provincialia proxime habenda uniuscujusque ex dictis Provinciis Italicis, quæ quidem Capitula Provincialia, nempe Provincie Romanæ, Neapolitanæ vi. Januarii, Siculæ iv., et Calabriae xviii. Maii anni proximi præteriti, in quibus facta, a vocalibus omnibus capitulariter congregatis, matura consideratione super præmissis, unanimiter in singulis supradictis Capitulis respective, uno, vel duobus ex suffragantibus exceptis, decreverunt, et

Ad removenda dubia super alternativa electione Abbatis Generalis ex Provinciis Italicis, et Hispanicis, aliam hinc Pontifex constitutionem edidit die 10 Jan. 1759.

Exponitur causa confirmationis postremarum Constitutionum, ad removenda dissidia promota a nonnullis Monachis, et Abbatibus Provincie Italiæ.

declararunt æquum, justumque esse, ut fructus, redditus, et proventus prædicti Monasterii, seu Abbatiae de Rosarno assignarentur, et tribuerentur, ac concedi, tribui, et assignari deberent omnibus Abbatibus Generalibus sæpediti Ordinis, cujuscumque Nationis, etiam Hispaniæ, juxta tenorem, et formam, ac dispositionem prædictarum Nostrarum Literarum, ac præmissa omnia, per dictos Capitulares; Capitulorum hujusmodi acta, confirmavit, et approbavit, ac declaravit subsequens Dieta Generalis ipsius Ordinis die prima Junii ejusdem anni, in Monasterio Sancti Adriani Provinciæ Calabriæ ejusdem Ordinis habita, prout stare asseritur ex actis tam dictorum Capitulorum Provincialium memoratarum Provinciarum Italiæ, quam Dietæ prædictæ. In hoc rerum statu, dictus Alexander Abbas Generalis ad effectum stabiliendi in posterum, in eodem Ordine pacem, et tranquillitatem, et ad dirimendas quascumque lites, super præmissis jam exortas, et quæ deinceps forsitan oriri possent, proprium esse ducit, ut attentio consensu, sicut præmittitur, tam a Capitulis Provincialibus Provinciarum Italiæ, quam a Dieta Generali prædictis præstito, Nos memoratas Nostras Literas super assignatione eorumdem fructuum, reddituum, et proventuum memoratæ Abbatiae de Rosarno, favore dicti Alexandri moderni, et aliorum pro tempore Abbatum Generalium existentium ipsius Ordinis editas, quatenus opus sit, de novo confirmare, seu illas innovare, de benignitate Apostolica, dignemur.

§. 6. Nos, qui nihil curamus impensius, quam ut contentiones, lites, disceptationes forenses, dissidia, et partium studia procul amoveantur, atque eliminentur, et ubi opus esse constituerit, omnia inter viros præsertim Religiosos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum, et Regularem disciplinam confirmandam, componantur, constabulanturque, piis ejusdem Alexandri Abbatis Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo; et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit; hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, attentio consensu a vocalibus memoratorum Capitulorum Provincialium Provinciarum Ro-

manæ, Neapolitanæ, Siculæ, et Calabriæ, nec non Dietæ Generalis, sicut præmittitur præstito, præsertim ad id, quod pertinet ad assignationem fructuum, reddituum, et proventuum dictæ Abbatiae de Rosarno tam dicto Alexandro moderno, et pro tempore existenti Abbati Generali dicti Ordinis cujuscumque Nationis; primodictas Nostras literas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, confirmamus, ac innovamus, seu de novo concedimus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adijcimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, dicta auctoritate supplementis, et sanamus, et quatenus opus sit, attentio consensu prædicto eorumdem Capitulorum Provincialium, et Dietæ Generalis, prædictis literis ejusdem Benedicti Prædecessoris non obstantibus (in quibus nulla facta fuit mentio concessionis dictæ Abbatiae de Rosarno, ab Urbano Prædecessore, ad favorem Abbatum Generalium dicti Ordinis pro tempore existentium volitæ), quas in hac parte dumtaxat de novo cassamus, et annullamus, omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus Mensæ Abbatialis Monasterii, seu Abbatiae de Rovito nuncupatæ, loci de Rosarno Meliten Diocesis, tam eidem Alexandro moderno, a die suæ electionis in Abbatem Generalem dicti Ordinis, quam cuicumque Abbati Generali Ordinis, pro tempore existenti, cujuscumque Nationis, sive Siculæ, sive Calabriæ, sive Romanæ, Neapolitanæ, sive Hispaniarum Provinciarum, auctoritate, et tenore præsentis perpetuo de novo concedimus, assignamus, et confirmamus.

§. 7. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Alexandro moderno, aliisque Abbatibus Generalibus dicti Ordinis, pro tempore existentibus, plenissime suffragari, et ab aliis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in primodictis Nostris literis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma-

Pontifex
as præceden-
tes sanctiones
quoad reddi-
tus Abbatia de
Rosarno con-
firmat, atten-
to etiam con-
sensu præstito
a Capitulis Pro-
vincialibus, et
Dieta Generali.

Clausula su-
blata, et decre-
tum irritans.

joerem sub annulo Piscatoris die xxii. Januarii MDCCLXI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 7 Febr.
1761 Ann. III.

CLXXXIV.

Suum dolorem exprimit, pro dissidiis obortis, inter Missionarios Indiarum Occidentalium, ad quæ removenda, Decreta nonnulla Sacræ Congregationis de Propaganda Fide adprobasse, et Apostolicum Delegatum ad cuncta componenda deputasse significat.

Literas quibus, Decreta Sacræ Congregationis de Propaganda Fide confirmantur, et Apostolicus Delegatus assignatur, quæ in presentibus enunciantur, neque in Archivis Vaticanis, neque in Secretaria Brevium adinvenire potuimus, eas autem, quoties in posterum reperiri, ex noviter adhibendis diligentius, contigerit, dabimus in Appendice ad hujus Pontificatus finem.

Venerabili Fratri Ludovico Episcopo Ceomanensi Vicario Apostolico Tunkini Occidentalis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Apostolicum Vicarium Tunkini hortatur, ut ab oratione non desistat, qua fractus ex tribulatione ipsa exoriantur.

§. 1. Incredibili dolore affecti fuimus, ac pene oppressi, nec lacrymas continere potuimus, dum legebamus eas literas, quibus renunciavisti perturbatam isthic vehementer inter Operarios Dominicæ Vineæ, salutarem concordiam, gravissimasque offensiones, quæ subortæ sunt, quæque adhuc timentur: siquidem valde metuendum est ne Christiana Fides tot, in Regionibus istis, Deo miserante, parta sudoribus, eodem ad iracundiam provocato, intereat, vel maximum saltem, ne capiat detrimentum. Veruntamen, Venerabilis Frater, animum despondere non oportet, sed fervidioribus precibus, atque gemitibus, Divinam exorare clementiam, est enim Deus in Israel, qui potens est de ipsa tribulatione, quantumvis gravissima, magnum excitare proventum: quo circa infinitæ ejus misericordiæ confisi, illud futurum speramus, ut ingentem hanc procellam, magna tranquillitas consequatur, Teque proinde meritis plenum, et annis, qui

tanto ab hinc tempore in isto Agro excolendo diligentissimam navasti operam, certaminis Tui cursum in pace consumaturum.

§. 2. Ad nos interea quod attinet, cujus Apostolicæ servituti incumbit, pro Catholici Gregis custodia vigilantissime excubare, vix acceptis literis Tuis, nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandæ, semel ac iterum insimul convenire jussimus, ut totius Negotii gravitatem expendere, qui propterea nonnulla ediderunt Decreta, quæ Nos ipsi matura deliberatione libravimus, et Apostolicæ auctoritatis calculo confirmavimus. Hæc Tibi Venerabilis Frater, Nostri Literis alligata transmittimus, atque statuimus insuper, Apostolicum Ablegatum designare, qui oportunis, ac necessariis facultatibus instructus, isthic accedat, ac malis jam pridem exortis medeatur, et delinquentes, ac contumaces condignis pœnis afficiat: ac Tibi interea, Ven. Fr., paternæ benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem Nostram peramanter largimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vii. Februarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Decreta ad cuncta componenda a Sacra Congregatione de Propaganda Fide lata, approbat, et Apostolicum Delegatum mittit, qui medelam exortis malis præbeat.

CLXXXV.

Dat. die 14.
Febr. 1761 Pont.
Ann. III.

Arbitrariam conventionem inter Canonicos Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazzari, se haud probatarum promittit Episcopo Diensi, nisi exquisito voto Sacræ Congregationis Concistorialis, et universis auditis Ordinariis, in quorum Diœcesibus præfati Canonici Regulares reperiuntur.

De hac eadem arbitraria conventionem a Pontifice reprobata, habes Epistolam binas, Archiepiscopo Viennensi, et Episcopo Valentino missas, quas retulimus hoc Tomo II. sub Num. CLXXIV. et CLXXV.

Venerabili Fratri Gaspari Alexio Episcopo Diensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Sane condoluimus tristissimæ conditioni, et summis calamitatibus,

in quibus Diocesim Tuam versari scribis, ob vastationes Calvinianorum, quæ nondum reparatæ fuerunt, ita ut squalida sit ubique Sponsæ Tuæ facies, non tam necessariis ornameutis, quam Sacris destitutæ Ministris: hanc ob causam vehementius, quam cæteri Fratres Tui, doles, initam conventionem Canonicos inter Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazari, ad quos, illius vi, temporalia eorum bona pertransient, quorum aliqua pars, reparandis istius Ecclesiæ malis, poterat inservire, nam de Canonicis, ipse quoque, nullum compendium fieri posse, fateris, ob ignaviam, infructuosamque segnitiam, in quam inciderunt, atque idcirco rogas, ne conventionem illam, Apostolico calculo confirmemus. Ad Nos autem quod attinet, hac in re, nullam deliberationem capiemus, nisi prius audiamus Venerabiles Fratres Nostros Congregationis Conclistorialis, apud quos, confirmandæ concordix petito, rite prius, ac mature est perpendenda, neque iidem Venerabiles Fratres suggerent Nobis quidquam faciendum, vel repudiandum, nisi postquam interpellaverint Episcopos omnes, in quorum Diocesibus Canonici illi versantur, quorum unus cum sis, tum poteris zelo Tuo plenissime satisfacere, eaque omnia singillatim referre, quæ magis in Domino opportuna censueris, ne cesses interea hæc eadem, uti facturum polliceris, carissimo in Christo Filio Nostro Regi Christianissimo significari curare, ut scilicet, patrocinio suo, quidquid Ecclesiæ Tuæ comodis adversari potest, prohibeat, si quidem de Nostra in Ecclesiam Tuam optima voluntate dubitare non debes, pignusque damus in Apostolica Benedictione, quam Tibi Ven: Frater, et Gregi Tuo permanenter largimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die xiv. Februarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

CLXXXVI.

Dat. die 20 Feb.
1761 Ann. III.

Indulgentia Plenaria ad Septennium conceditur cunctis Christifidelibus visitantibus Ecclesiæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, Dominica immediate sequenti, diem Vigessimam primam Augusti, a primis Vesperis, usque ad occasum solis diei huiusmodi.

Clemens Papa XIII.

Universis Christifidelibus præsentibus literas inspecturis, salutem, et Apostolicam Benedictionem

Ad augendam Fidelium Religionem, et Animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris, pia caritate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, ubicumque existentibus, Dominica immediate sequenti diem vigessimam primam mensis Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, misericorditer in Domino concedimus, præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notari publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Februarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio:

Dom. die 28.
Feb. 1761 Ann.
tertio.

CLXXXVII.

Indulgentiæ tum plenaria, tum temporaneæ conceduntur Confraternitatibus sub titulo B.M.V. de Bono Consilio, erectis; et erigendis in Ecclesiis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, in Ditionibus Bavaricæ, cum præcedentium indulgentiarum revocatione.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriã

Exordium

§. 1. Cælestium munerum Thesuros, quorum dispensationes humilitati Nostræ commisit divina dignatio, fideliter erogare cupientes, pia omnium quidem Christifidelium, sed præsertim, insignium nobilitate generis personarum vota, libenter exaudimus, cum ad augendam Omnipotentis Dei gloriam, et Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cultum magis magisque promovendum, spiritualemque utilitatem, atque consolationem populis afferendam, profuturum in Domino arbitramur.

In Statibus Bavaricæ reperiuntur erectæ Confraternitates Beatæ Mariæ Virginis de Bono Consilio in Ecclesiis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in statibus Bavaricæ Duci subjectis existentibus, Confraternitates sub titulo Beatæ Mariæ Virginis de Bono Consilio nuncupatæ (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonice erectæ, seu erigendæ existant, ad iustar illius sub eodem titulo in Ecclesia Fratrum dicti Ordinis Oppidi Genazzani, Prænestinæ Diocesis institutæ, fel. rec. Benedictus Papa XIV. Prædecessor Noster, per alias suas in simili forma Brevis expeditas Literas, nonnullas Indulgentias, et spirituales gratias concesserat, quas per organum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositorum ad tramites praxis restituit, quarum respective Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera, exercere consueverunt, seu intendunt.

Enumerantur indulgentiæ, quæ conceduntur prælaudatis Confraternitatibus in Bavaricæ Ditionibus erectis, et erigendis.

§. 3 Nos, ut Confraternitates huiusmodi in supradictis Ecclesiis erectæ, sive erigendæ, majora in dies suscipiant incrementa, ac supplicationibus dilectæ in Christo Filiæ, Nobilis Mulieris Mariæ Antoniæ a Bavaria, Principissæ Electoralis Saxonicæ porrectis inclinati, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum, ejus

auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex dictis Confraternitatibus in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in qualibet ex dictis Confraternitatibus Confratribus, et Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque pœnitentibus, et confessis, ac sacra Communione reffectis, etiam plenariam: nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus in Confraternitatibus huiusmodi Confratribus, et Consororibus, etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac Sacra Communione reffectis, qui eandem respective Confraternitatum Ecclesiam, seu Cappellam, vel Oratorium, die vigesima quinta Mensis Aprilis, ac in octo diebus immediate subsequentibus, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, atque hæresum extirpatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter in uno ex prædictis novem diebus per unumquemque ex Confratribus, et Consororibus dictarum Confraternitatum ad sui libitum eligendo lucrificandam, misericorditer in Domino concedimus, in reliquis vero octo diebus prædictis septem annos; et totidem quadragenas; Quoties vero Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Cappella, vel Oratorio huiusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint; nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum huiusmodi, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones, de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quam quum ad infirmos, aut alias quocumque, et quocumque pro tempore differetur, comitati fuerint, vel si impediti, Campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, et salutationem eandem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reducerint, et ignorantes præcepta Dei, et ea, quæ ad salutem sunt ne-

cessaria, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, quas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, etiam animabus Christianifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare posse indulgemus. Præsentibus, perpetuis, futuris temporibus valituris.

Transumpto-
rum fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Præcedentes
indulgentias
quomodocum-
que concessas
revocantur, et
annulantur.

§. 5. Insuper volumus, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus, præmissa peragentibus, aliqua alia indulgentia similis, perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa, fuerit, illa revocata sit, prout per præsentis auctoritate Apostolica revocamus, utque si aliqua ex dictis Confraternitatibus alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituat, priores, et quævis aliæ Literæ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso pariter nullæ sint. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die xxviii. Februarii MDCCLXI Pontificatus Nostri anno Tertio.



CLXXXVIII.

Dat. die 4.
Mart. 1761 Ann
Tertio.

Sodalitiorum institutionem sub B. V. de Bono Consilio invocatione, in Ecclesiis Religiosorum Eremitarum S. Augustini, et indulgentias favore ipsorum Sodalitiorum approbasse per alias Literas in forma Brevis significat Mariæ Antonia Principissæ Poloniae.

Literas in forma Brevis, quibus Sodalitia hujusmodi approbantur, et indulgentiæ elargiuntur, dedimus superiori Numero CLXXXVI.

Dilectissimæ in Christo Filia Nostræ
Mariæ Antonia Regiæ Poloniae
Principissæ.

Clemens PP. XIII.

Dilectissima in Christo Filia Nostra
salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**ximia pietas Tua, patriæ Religionis haud oblita, imaginem quamdam Beatissimæ Virginis de bono Consilio nuncupatæ dono dedit Fratribus Augustinensibus Monachii, qui eam, rite præmissis, quæ præmittenda erant, in Sacra Æde, quam isthic habent; decenter locarunt, ut ejus aspectu Christianifideles ad Deiparam Virginem sincero cultu prosequendam excitarentur; nunc vero, et Fratrum illorum, et Populi vota ad Nos humanissimis literis defers, ut Sodalitium, eadem in Ecclesia, sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis de bono Consilio dictæ, instituere liceat, iisdemque cumuletur Indulgentiarum thesauris, quos Sa. Me. Benedictus XIV. contulit ejusmodi cœtibus, per suas literas in forma Brevis die ii. Julii anni MDCCLIII. datas: Nos autem qui et pietati Tuæ, cæterisque Christianis virtutibus, quibus excelsum animum Tuum misericors Dominus ornare voluit, et Augustinensium Fratrum, piique Populi desideriis indulgere maxime cupimus, ut qui peccatores sunt, ad veram, et salutarem pœnitentiam convertantur, qui vero declinant a malo, et faciunt bonum, ad Christianæ perfectionis apicem quotidie magis vergant, quas postulasti indulgentias lubentissime concessimus per alias literas in forma Brevis, quas præsentibus adnectimus, iis tamen prescriptis limitibus, quos idem ipse solertissimus Pontifex, literis suis censuit præfiniendos: atque interea dum prosperitatem omnem

Tibi, dilectissima in Christo Filia Nostra, carissimo Conjugi tuo, ac Liberis omnibus apprecamur, Apostolicam Benedictionem intimo sensu Paternæ charitatis largimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris di. iv. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXXIX.

Prohibitio sub pœnis, arbitrio Summorum Pontificum imponendis, ne ullo umquam tempore in viciniis Monasterii Septem Dolorum de Urbe fabricetur, vel licentia construendi ædificia concedatur.

Clémens Episcopus

Ad futuram rei memoriam

Exponuntur incommoda Monasterio derivantia ex plurimum ædificiorum constructione prope hoc Monasterium.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Superiorissa, et Moniales Monasterii sub invocatione Sanctæ Mariæ Septem Dolorum de Urbe, dudum a tunc in humanis agente Camilla Virginia Sabelli Farnesia Ducissa de Latera fundati, ac convenienti annuorum reddituum assignatione ditati, quod paucis ab hinc annis in viciniis ejusdem Monasterii nonnulla ædificia nempe Cartariæ, Ferriariæ, Officinæ Tabaci, et *Valche*, vulgo ut dicitur, magno cum earumdem Monialium incommodo, et mentis evagatione constructa fuerant, et pergunt; nuper vero præter, et ultra supradicta ædificia, ac incommoda, quæ exponentes prædictæ invito animo pati coguntur, in publico pratulo inter duas publicas vias interposito, et quasi adherenti duobus ambulariis vulgo Corridori duorum ex dormitoriis, aliisque Officiis Monasterii hujusmodi, aliud ædificium ad usum stabuli, et rhedarum receptaculi, et fœnilis in commodum, et utilitatem conductoris ejusmodi constructorum ædificiorum construere cogitabatur, et licet ipsæ exponentes omne studium, omnemque curam adhibuerint; ne novum ædificium prædictum construere- tur; vereantur autem ne tractu temporis sive dictum, sive aliud ædificium, aut aliqua alia fabrica construere possit, majoribus cum ipsarum exponentium incommodis.

Preces potrecte ut novæ deinceps fabricaciones in vi-

§. 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et at infra indul-

gere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovismodo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ne de cætero quisquam cujuscumque status, gradus, qualitatis, ordinis, et conditionis existens, aut quavis auctoritate, superioritate, et officio fungens, sub quovis prætextu, causa, ingenio, ratione, et colore, aut occasione, licentia, ut aliqua fabrica, aliudque quodcumque ædificium, sive in supradicto publico pratulo, aut alio in loco eidem Monasterio adherenti, et proximiori, construere, concedere, aut fabricam ipsam, sive quodcumque aliud ædificium construere, seu construere facere audeat, seu præsumat, inconsultis Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, sub pœnis Nostris, et Romanorum Pontificum Successorum prædictorum arbitrio, etiam pecuniariis, et corporis afflictivis imponendis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus, et prohibemus.

§. 3. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in parietibus dicti Monasterii, et in loco conspicuo, ut ab omnibus cerni, et legi possit, scriptum remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Martii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo primo, Pontificatus Nostri anno Tertio.

Derogatio contrariorum, et demandata affixio præsentis prohibitionis.

